

DISPUTATIO THEOLOGICA,

ad Jos. IX. & II. Samuel. XXI.

De,

RELIGIONE GIBEONITARUM,

Quam

In Illustri ad Varnum Academia

Ex benevola Max. Reverendæ Facultatis Theologicæ concessione

P R Æ S I D E

VENERANDO THEOLOGO

DN. IOANNE FECHTIO,

Doctore & Prof. Publ. Ord. longe celeberrimo, Consist. Duc.

Mecklenb. Assessore gravissimo & District. Rost. Superint.

vigilantissimo,

*Domino Patrono ac Præceptore suo omni observantia cultu
æternum prosequendo,*

ad diem XVIII. Aprilis ANNI MDCCIII.

IN AUDITORIO MAIORI,

Publico Eruditorum Examini submittit

A. & R.

BALTHASAR HENRICUS DE PLATEN,

Eqves Rugianus, SS. Theologiæ Studiosus.

a. XXXII 58.

Coll. diss. A
32, 58

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIGEROVII, Ampliss. Senat. Typogr.

43.

DISPUTATIO THEOLOGICA

RELLIGIONE
GIBSONI ARMA

DI JOANNIS
RECHT



BALTHASAR JERICHO DE BATEM



בשם הקב"ה

PROOEMIUM.



Ogitanti mihi, quomodo legibus almae hujus Academiae, quae inter caetera obtinent, quod sine studiorum specimine non sit discedendum, pro virili satisfacerem & quomodo non inelegans illud explerem dictum *Talmudicum*:

לֵאלֹהֵי יִפְטֹר אִדְמָה מִחֵבֶרֶת
לֵאלֹהֵי מִתּוֹךְ שִׁיחָרָה וְלֹא
מִתּוֹךְ שְׁחוֹק וְלֵאלֹהֵי מִתּוֹךְ

קְלוּרַת רֵאשׁ וְלֵאלֹהֵי מִתּוֹךְ דְּבָרִים בְּטָלִים אֵלֶיךָ
: i. e. *ne discedat quispiam a socio suo, nec intra confabulationem, neque intra ludicra, nec intra verba ociosa, sed intra verba expositionem seu decisum aliquod continentia;* peropportune succurrit argumentum *de Religione Gibeonitarum*, quod eo magis mihi arrisit, quo rarius illud ab Interpretibus hoc ordine pertractatum esse deprehendo. Hujus vero argumenti tractatio Bono cum Deo ita instituetur, ut brevibus primo dicatur, juramentum a Gibeonitis fraude elicitedum ex jure fuisse obligatorium, deinceps vero fusius disquiratur, utrum hi ipsi

A 2

Gibeo-

Gibeonitæ, quibus ab Israelitis præstitum est jusjurandum, fuerint manserintque Gentiles, an vero facti fuerint Profelyti? Atque ita prioris membri affirmatione valido argumentorum robore asserta, tandem animus est ex his ostendere, quod fides jurato promissa tam fidelibus quam infidelibus, tam hæreticis quam Christianis sit servanda, & quæ dicta sunt ad hodiernum Ecclesiæ Reformatæ in Gallia statum applicare. Quis enim nescit, quanta & quam horrenda fuerit Hugonottorum in Gallia persecutio, quomodo effraucto ac rabido militum furori olim expositi fuerint & adhuc hodie nonnunquam exponantur, ad carceres triremesque condemnentur, omnibus bonis exuti patriam deserere cogantur? Cui præterea, nisi jejuna sit in Historia hospes, ignotum est celeberrimum illud Edictum Nannetense, hunc ipsum in finem ab Henrico IV. adornatum & stabilitum, ut firmissimum esset Reformatorum palladium, cui tunc temporis omnes regni Procures Statusque solennissimis juramenti formulis subscribebant, quodque a subsequentibus Regibus sanctissime fuit habitum ac confirmatum, donec nostra ætate hodiernus Galliarum Rex, Ludov. XIV. seposita omni juramenti religione, modo iniquissimo illud violare & revocare cœpit. Ex quibus omnibus inter se collatis patefcet, quam injusta sint illa Gallorum contra Reformatos attentata molimina, & quanta injuria & perfidiâ contra miseros illos homines procedatur. Te vero L. B. cujuscunque sis ordinis & conditionis, quam humanissime rogatum volo, benignum feras de his conatibus judicium, & non immemor sis illius dicti Talm. **אל תהי כז** לכול אדם ואל תהי מפליג לכל דבר שאין לד: אדם שאין לו שעה ואין לך דבר שאין לו מקום

i. e. Non omnem hominem contempnas, nec quoad omnem rem dissentias: Cuiuslibet enim homini sua est hora & cuiuslibet rei suus locus sive usus.

דרכיך יהוה הודיעני ארחותיך למדני
הדריכני באמתך ולמדני כי אתה אלהי ישעי אותך
קויתי כל היום.

§. I.

Memorabilis historia est, quæ in Josuæ libro de Gibeonitis narratur. Erant hi ex devotis exitio populis, provincia nationis Chivvitarum, quatuor urbibus, interque eas præcipue Gibeone, vere regia & magnifica, constans, de quo populorum genere mandatum Israelitis severissima Dei voce fuerat, ne introituri in terram promissam cuicumque ipsorum parcerent, sed delerent funditus. Id hi audiverant, simulque, quod illius excidii funestum jam initium ab Hesbonitis & Basanitis factum fuerit, ex vicinia communi fama relatum erat. Metuentes igitur, ne & ipsi pari fato involverentur, fraude & dolo vitam conservandam esse putabant. Missis igitur legatis, qui peregre se venisse simulabant, longa itinera esculentorum & vestium consumptione mentientes, deditio in fœdus recipi petentes, desiderio suo, præstito utrinque jurejurando, potiebantur. Detecta ipsorum fraude & murmurante ob libertatem ipsis concessam populo, utque juxta mandatum Divinum neci darentur, flagitante, jurisjurandi religionem, qua se Principes populi obstrinxerant, violari posse salva in Deum pietate Josua negabat. Ne tamen impunita maneret hominum nequitia, aquatores & *ξυλοκόποι* constituti ad infimam plebis sortem condemnabantur. Ita secure & sine vitæ periculo inter Israelitas habitabant, donec præterlapso propemodum integro quatuor seculorum decursu, primus Israelitarum Rex Saul, nescio qua æmulatione ductus, excindere eosdem ex Israele anniteretur. Quæ res Deum ob violatum jusjurandum ad tantam indignationem concitabat, ut trienniali ideo fame universum Israelitarum populum affligeret, neque quiesceret, donec suspendio septem ex familia Saulis virorum ira Divina sedaretur. Quæ historia fuse recensetur Jos. IX. & II. Sam. XXI.

§. II.

Multa quidem consideratu longe dignissima in hac enarratione nobis exhibentur, tria tamen e cæteris sunt, quæ Theologicam meditationem paulo uberiores accuratiorumque mereri videntur, jusjurandum scilicet populo a Deo rejecto ab Israelitis præstitum; an ad illud servandum, cura dolo & petulantia a Gibeonitis fuerit elicitum, Israelitæ fuerint obligati? & Gibeonitarum receptio in qualemcunque Israelitarum societatem; annon illi potius ex dictato summi Numinis extirpari ex fidelium grege debuerint? denique horribilis pœna, quam Deus & Israelitis & speciatim Saulis posteris ob quæsitam a Saule Gibeonitarum excisionem immisit. De quibus omnibus operæ omnino pretium facturus esset, qui prævia totius textus consideratione acri diligentia & solido iudicio agere vellet. Nec enim dubium est, ubique eximiam fore occasionem, pulcherrimas utilissimasque in Theologia quæstiones expendendi & earundem fructum in lectorum utilitatem diffundendi. Nobis vero neque otium nunc est neque consilium in illam meditationis amplitudinem digrediendi, sed ut qualemcunque materiam publico colloquio suppeditemus, sufficiat nobis unicum ex universo isto argumento momentum excerpere, cæteraque omnia, tanquam a præsentis nostri scopo aliena, aliis dilucidanda relinquere, cum præcipua, quæ de jurejurando dici poterant, nuper Nonnemo in Academia Lipsiensi occupaverit.

§. III.

De jurejurando igitur ea tantum quasi in compendio dicemus, quæ videntur inter Theologos nostros, virtutem sacri textus penitus considerantes, vel omnes vel plerosque communi consensu & opinione recepta esse: obligasse nimirum juramentum non ex æquitate tantum aliqua & subsequenti Dei approba-

probatione, sed ex ipsa jurisjurandi ratione & indole, quod promissionem, sub Divini nominis invocatione religiosissime factam, in se continebat, quantumlibet Israelitis deceptione & fraude fuerit extortum. Plane eo modo, quo Theologi disputant, etiam jusjurandum, vi a latrone expressum, id etiam in se continens, ne latro nominatus propaletur, religiose servandum esse, quia præstet, temporales quascunque facultates amitti, quam Dei severissimi judicis nomen profanari, quod in jurejurando invocatum est. Levit. XIX, 12. Deut. V, 12. Utuntur hac consequentia *Theologi Jenenses* apud *Dedekennum Part. II. Consil. p. 274.* Nec ab ea recedit primarius hodie illius Academiae Theologus, idemque de Ecclesia nostra diuturnis utilissimisque laboribus meritissimus, *B. D. Friedemannus Bechmannus in Theologia Conscientiaria pag 356.* Exemplum memorabile & ad horrorem usque recenset *D. Joh. Steuberus tract. de conscientia p. 311.*

§. IV.

Asserti rationes sunt. I. Quia servatio hujus jurisjurandi nullibi tanquam libera & ex qualicunque tantum æquitate facta, sed ubique tanquam indeclinabilis & necessaria describitur, quam sine horrenda Divini nominis proculcatione certissimaque irrogatione atrocissimarum poenarum defugere non poterant. Ita enim Principes populi: *Juravimus ipsis per Jehovaham Deum Israelis, ideo ladere eosdem non possumus. Sinamus eos vivere, ne ira Dei nobis immineat, PROPTER JUSJURANDUM, quod juravimus illis.* Jos. IX, 19. 20. II. Quia idem repetitur II. Sam. XXI, 2. nec obligatio conservandi in vita Gibeonitas ex æquitate quapiam & bonitate Israelitarum, quippe qui de jure stricto ad servandum jusjurandum non obligati fuissent, sed ex ipso jurejurando diserte deducitur: *Filii Israel juraverant Gibeonitis, & Saul tamen quærebat ipsos percutere in zelo suo.* III. Quia non poterat Deus evidentius testari, quantam velit esse jurisjurandi religionem, si vel dolo etiam vel vi extorqueatur, quam

quam per illatam multis hominum millibus terribilem pœnam, idque ob unius perjuri Regis perfidiam. Quare ex hoc ipso loco hoc confectarium educit *B. D. Seb. Schmidius: Juramentum etiam temere facta, non tamen in se injusta, servanda esse.* IV. Quia, quæcunque rationes in contrarium adducuntur, dilui facili ratione possunt. Vid. instar omnium *Doct. Mühlmannus* in novissimo *ad Jos. Comment. p. 370 sqq.* V. Quia ipsius rei evidentia & veritate coacti in hoc consentiunt plerique omnes Theologi, adeo ut & de suæ religionis hominibus confidenter scribat *Job. Azorius Part. III. Instit. moralium lib. IV. Cap. 23.* inter omnes convenire tam Jurisconsultos quam Theologos, *juramentum, quantumvis metu extortum (eadem autem est ratio jurisjurandi fraude expressi) si absque interitu aeternæ salutis, h. e. absque peccato possit impleri, cum fiat in materia aliqui justa in conscientia vim habere obligandi.*

§. V.

Itaque assertionem istam, tanquam a plerisque concessam & evidentibus nixam argumentis, quasi in antecessum supponemus. Id vero, de quo in præsentî Disputatione paulo curatiorrem disquisitionem instituemus, in eo duntaxat versabitur, ut indagaturi simus: Quænam fuerit Gibeonitis religio, partim, cum ad Israelitas accederent, partim, cum postea in medio ipsorum habitarent? An vel fuerint vel manserint Gentiles? An vel advenerint vel postea facti fuerint Profelyti Portæ? Idque prout hi vel describuntur ex Judæorum opinione, qui nempe observaverint VII. præcepta Noachica, recisis reliquis vel fidei Judaicæ, vel legum divinarum, vel denique Sacramentorum articulis? vel prout illi censentur ex veriore orthodoxorum Christianorum sententia, qui scilicet universam Judæorum religionem in substantialibus, exceptis tantum legibus ceremonialibus & forensibus, fuerint amplexi, adeo ut & in Messiam crediderint & spem æternæ salutis ex fide in illum non minus ac genuini Israelitæ habue-

habuerint? An denique temporis successu facti fuerint Profelyti Justitiæ? Agitur quidem de his quæstionibus in Commentariis & alibi passim, non tamen, ut mihi videtur & quod pace aliorum dixerim, ita solide, ut inqvirentis sitim satient & famem extingvant. Liceat igitur mihi in præsentis argumento non tam vires meas periclitari quam ingenium exercere; præprimis cum harum quæstionum accuratior decisio, quæque firmiora ubique sectetur argumenta, variis controversis, in ipsa Christianismi praxi utilissimis, imprimis iurijurando, illegitime vel ab infidelibus vel ab hæreticis nobis extorto, ejusque obligationi eximiam prorsus lucem fœneretur.

§. VI.

Ut a variarum sententiarum recensione faciamus initium, putarim, quorundam ex nostris Theologorum & nisi omnino fallor, plurimum hanc esse opinionem, Gibeonitas quidem, cum primum fœdus cum Israelitis icturi Josuam convenirent, revera fuisse Gentiles, neque tum quidem religionem suam deposuisse; postea vero, cum libertas ipsis habitandi intra Israelitas concessa esset, gentilem religionem cum Judaica ita permutasse, ut Profelyti, ceu vocant, justitiæ fierent. Et quidem alia conditione non fuisse receptos, nisi ut rejecto posthac gentili Deorum cultu religionem populi DEI amplecterentur. Atque ideo quoque quia huic conditioni sese sponte & volentes subjecerint, lignariorum & aquatorum, ut alicubi *Hieronymus* loquitur, ipsis officium in templo fuisse commissum, quod non sine aliqua inconvenientia factum fuisse persvasi sunt, si gentili superstitioni mansissent constanter addicti. Non tamen desunt, quod huic sententiæ illico addendum esse videtur, qui opinantur, jam ante Israelitarum religioni animum apposuisse, quam iter ad Josuam suscepissent. Atque ideo quoque fœdus ipsis denegari non potuisse, cum mandatum a DEO non fuerit, ut veræ
B
religio-

religionis cultores delerent, sed ut gentiles. Quam opinionem cum quibusdam argumentis ex textu depromptis confirmant, suo ea loco consideraturi sumus.

§. VII.

Secunda opinio eorum esse videtur, qui Gibeonitas, postquam ad Josuam accessissent gentiles, promississe asseverant, crassum se idolorum cultum e vestigio deposituros esse, subscripturosque VII. Præceptis Noachidarum, quos vocant Profelytos Portæ. Hi ex Talmude a R. Maimonide in Halach. Huribia Cap. 14. Gemar. Babylon. ad tit. Aboda Zara cap. 5. fol. 64. ita describuntur: אי זה הוא גר תושב זה גוי שקיבל עליו שלא יעבור עבודה זרה עם שאר המצוות שנצטוו בני נח ולא מלא ולא טבל הריוה מקבליו אותו והוא מחבירי אומות עולם ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל. *Qualisnam est is, quem Profelytum domicilii seu inhabitantem vocamus? li Gentilis, erat, qui in se susceperat a cultu extraneo abstinere, ac cetera observare quæ in Noachidarum seu omnium hominum communi jure continentur. Nec circumcidebatur ille nec baptizabatur; sed admittebant eum tanquam unum ex piis gentibus mundi. Ideo autem nuncupatur Inhabitans seu inquilinus, quoniam licuit nobis ei sedes inter nos assignare in territorio Israelitico. Sunt autem VII. ista præcepta primum, ut omnis fugeretur idololatria, neque imagines & ullæ creaturæ sive in cælo sive in terra præter unum solum verum DEUM colerentur. Secundo ne nomen Divinum blasphemaretur, sed invocaretur potius & celebraretur. Tertio ne sanguinem quis funderet humanum & quamlibet scortationem, Quinto ne quid præda furtoque diriperet. Sexto ut justitiam judiciumque exerceret. Septimo ne carnem in sanguine suo viventem comederet. Tradunt vero Judæi, sine horum præceptorum receptione habitationem intra Israelitas concedi nemini potuisse. Ita denuo Maimon.*

in

מי שלא רצה אין כופין אותו לקבל תורה ומצוות וכן צורה משה רבינו מפי הגבורה לכיף את אל באי העולם לקבל מצות שנצטוו בני נח וכל מאלה קבל י הרגי-
in Halach. Melakim Cap. 8. Nolentem non cogebant in se suscipere legem & precepta Mosaica. At vero jussit Moses a Numine ipso edo- ctus, ut quemadmodum dictum est, quisque mortalium in se su- scipere cogeretur precepta Noachidis imperata. Et qui id face- re nolebat, ultimo supplicio erat afficiendus. Prolixum de his Profelytis Commentarium exhibet illustre opus Joh. Seldeni de jure naturali & gentium juxta disciplinam Hebraeorum. At- que ita de Gibeonitis senserunt Judæi omnes, sentiuntque ad- huc hodie constanter. Nec dubito, facere cum ipsis eos præcipue Christianos, qui liberiore religionis conscientia utun- tur, ipsisque etiam Gentilibus, si secundum rationem vivant, crassioresque de DEO opiniones repudient, Divinum olim fa- vorem ipsamque adeo vitam æternam promittunt.

§. VIII.

Denique nunquam defuerunt ex omni religionum ge- nere qui Gibeonitas & Gentiles ad Josuam accessisse, qualem- cunque veri Numinis Israelitici venerationem malitiose & fraudulentè simulantes, & mansisse tales non aliter ac reli- quos ex devotis gentibus, quos profligare non poterant, non obstante, quod ad quaecunque ministerium Divini cultus aquam hauriendo & cadendo ligna fuissent adhibiti. Quæ tamen sententia non inficiatur, successu temporis subinde Gi- beonitarum plures pluresque ad Israelitarum religionem ac- cessisse, idque eo magis, quo majorem habuerunt occasio- nem cum Levitis conversandi, quippe quorum civitatem Ki- riathjearim inhabitabant, & informationem salutarem ab ipsis recipiendi.

§. IX.

Nec destituitur hæc sententia argumentis. I. enim mu-
 B 2 tata

tatæ religionis neque in Josua neque in Samuele ullum comparet, ne minimum quidem, ullo verbo vestigium. An vero credibile est, circumstantiam in hoc negotio omnium maxime præcipuam & memorabilem silentio sepeliri? Memoratur legatorum adventus, eorum oratio ad Josuam habita, colloquium Josuæ cum ipsis, pactum cum iisdem initum, præstitum illis jusjurandum, deprehensa deceptio, murmurationis populi, Josuæ declaratio & propter fraudem ab ipsis factam in eosdem animadversio. Tot tantæque circumstantiæ, eæque omnes mutata religione quoad momentum minores tam studiose fuerint percensitæ, sola vero religionis consideratio, sine qua scilicet juxta eos, qui Profelytos eos factos esse defendunt, contrahere cum Gibeonitis fœdus non poterant, quæ DEUM attinebat, sine cujus consensu totum negotium irritum fuerat, absque cujus mentione apparere iustitia servandi Sacramenti non poterat, quippe ad cujus contrarium per disertum DEI mandatum Israelitæ erant adstricti, quæ exemplum posteris omnibus, in simili casu cum infideli populo paciscentibus, quod sequerentur, præbere debebat, in enarratione fuerit omissa? Non existimo cuiquam videri credibile posse, Spiritum Sanctum, Spiritum sapientiæ & prudentiæ omnia reliqua ad civilem hujus actus historiam pertinentia tam curiose descripsisse, nec voluisse ullum verbum facere de eo, quod proprie ad sacram Ecclesiæ Remp. & ad religionem, cujus gratia universa Scriptura inspirata est, pertineret. Quæ nonnullis videntur aliquod assumptæ Israelitarum religionis indicium in se complecti, quam invalido lubricoque illa fundamento innitantur, suo loco ostendemus.

§. X.

Jam II. cum Gibeonitarum & in reliquis S. literarum libris non infreqvens fiat mentio, variaque subinde de his memoren-

moren-

morentur, non tamen vel vola vel indicium ullum ullibi comparet, quod aliam, quam qualis ipsis ex ipsa natalium conditione fuerat, religionem unquam sint amplexi. An vero credibile est, rem tantam tantique momenti fatali quopiam & perpetuo silentio fuisse damnatam? minore cum periculo aut damno saltem poteramus ignorare, aus murmurasse Israelitas adversum Principes, qui jurejurando Gibeonitis de vita caverant, aut servitium ipsis hauriendarum aquarum scindendorumque lignorum imposuisse, quam eosdem ad verioris religionis amplexum, antequam quicquam de eorum receptione decerneretur, sanctissimo promisso fuisse adactos. DEI enim causam, si negotium sine conditione mutandæ religionis tractari non poterat, ut primo ante cætera omnia loco haberi, ita & literis ad posteritatis informationem tradi debuisse, admodum verosimile est. Quare & hodie in quibuslibet sive de pace sive de fœderibus pactis & tractationibus, quæ ad religionem, id genus transactionibus involutam, spectant, primum semper locum occupant, neque unquam facile auditum est, id quod in re quapiam præcipuum est, unquam fuisse silentio involutum.

§. XI.

Nec minor III. asserto hactenus nostro probabilitas conciliatur ex eo, quod inauditum propemodum sit & incredibile, integram gentium provinciam, quatuor clarissimis urbibus constantem, interque eas præcipue Gibeonem, quæ regias urbes omnes magnificentia superabat, Jos. X. 2. solo adductam metu, in Veteri cum primis Testamento, ubi totus fere mundus gentilibus repletus fuerat, sine ulla prævia informatione fidei Judaicæ, ex mysteriis omni rationi imperviis constanti, nomen suum dare. Erant gentes istæ in Idololatria induratissimæ, quibus ægrius idolorum cultum quam clavum Herculi extorisses. Demonstrat id reliquorum Cananæorum exemplum, qui libentius funditus excindi &

Præsentissima vitæ pericula adire, quam Deorum suorum venerationem deserere malebant. Ea obstinatio in causa quoque fuerat, cur DEUS ex justissimo judicio extremo exitio eosdem addixisset. Israelitæ in Ægypto exiguo tempore habitantes, ita paulatim idolorum amorem ex gentili-um consortio suserant, ita eidem fuerant assueti, ut postea nec immediatis a DEO missis Prophetis, nec frequentissimis miraculorum portentis, nec stupenda legis promulgatione, nec sustentatione e cælo, omnem naturam supergrediente, ab eodem potuerint abstrahi. Testis ejus rei locuples vitulus est, e vestigio post legis latæ solennia erectus cultusque. Judicum liber ubique documenta exhibet omni exceptione majora. Stephanus in actis asserit, media inter XL. annorum miracula non DEO amplius Israelitas, sed Molocho & Remphani sacrificia obtulisse. Populus ex brevi temporis cum Ægyptiis cohabitatione factus Φιλείδωλος, qui quamquam nonnunquam idololatriam exueret, vix ulla tamen interposita mora, illico ad eandem, ut sus ad volutabrum rediens, relabebatur. Tanta nempe difficultate, quæ semel imbibuntur & ad quæ aliquo temporis spatio nos assuefecimus, excutiuntur. Et Gibeonitæ omnes singulique cum omnibus urbibus suis & agro, quorum personam agebant legati, longissimis temporum decursibus idololatriæ, quam cum lacte materno imbiberant, immergi, uno quasi momento mutare animum, abjicere patrios DEOS, ritibus inolitum nuntium mittere, religionem novam, veteri e diametro adversam, amplecti? Forte nonnunquam tale quid per miraculosam DEI actionem, cum prædicatione verbi Divini conjunctam, factum est, quod vero Scriptura tanquam insolens quid & quod rarissime contingat, studiose in S. Pandectis recenset; si simile quippiam circa religionem Gibeonitarum factum fuisset, an hæc circumstantiæ, pondere longe gravissima, silentio poterat præteriri? Ubi vero Scriptura miracula non memorat, frustra illa fingi præsumuntur.

Adhuc

Adhuc incredibilius est, mutandæ religionis animum Gibeonitas ad Josuam attulisse, atque adeo solis miraculis a DEO in Ægypto patratis, fatoque trans-Jordanæorum ad rem tantam fuisse commotos. Id quod nec Judæo Apellæ, ad credendum de cætero etiam juxta proverbium facili, persuaderi potuit. Nam ita ad Jos. IX. *Abarbanel*: הנה הגבעונים אין ספק שירעו וששמעו כתב יהושע מי שרצה להשלים ישלים אבל ירעו תנאי ההשלמה והוא שיהיו למס ויעברו אותם ומפני זה לא היה רצונם לעשות שלום שהוא עם המס והעברות כי עם לעשות ברית והוא האהבה וההסכמה בלי מס ועברות ובלוי הכרת העבירה: זרה מקרבם וההכנע למצות בני נח: i. e. *Ecce norant sine dubio audiverantque Gibeonitæ, scripsisse ad Cananeos Josuam: qui voluerit pacem facere, faciat; sed norant etiam conditiones pacis, se nimirum per eam tributo & servituti Israelitarum obnoxios fore. Ideoque non pacem seu deditionem, quippe cum tributo & servitute conjunctam, sed fœdus potius facere voluerunt, quippe quod amorem complectitur & consensum sine tributo & servitute, sine renunciatione idololatriæ & sine obligatione ad præcepta filiorum Noachi gentiles inter Israelitas suscipiendi. Non momento aut uno tantum alteroque die conficitur conversio. Non instantanea est actio sed successiva. Non sola fama, quæ præambulum tantum est & via quæpiam ad ulteriorem solidioremque veræ Ecclesiæ inquisitionem, sed verbi Divini diuturna accurataque consideratione procuratur.*

§. XII.

Quod si IV. Gibeonitæ subito fuissent conversi & religionem Israelitarum ad unum omnes, exceptis ceremonialibus, suscepissent, aut saltem susceptionem jurejurando promississent, posthac nempe in veriore religione laboriosius sese informandi, utrum verosimile esse putabimus, Josuam, Dusem pium Divinoque Spiritu plenum, noviter conversos jamque

que veri DEI cultores ad vilissimum istud contemtissimum-
que servitii genus, quo, qui hactenus liberi homines & do-
minari potius alius quam aliorum servitutum subire assveti-
fuerant, ligna cæteris calorum instar findere & aquam ex
profundo haurire, & ante hæc universa relinquere Israelitis
suas civitates, suas provincias, suos agros, sua prædia, æs
suum & argentum, & adeo vivere in summa paupertate at-
que miseria cogebantur, condemnaturum fuisse? Hicne fuis-
set fructus & præmium pænitentiae suæ & ad DEUM conver-
sionis? DEUS, cujus benignitas & misericordia ipsum cœ-
lum magnitudine supergreditur, non ad agnitionem tantum
peccatorum & pœnitentiam invitat, sed venientibus currit
obviam, humiliantes sese ulnis suis brachiisque tanquam pa-
ter tenerrimus complectitur, convivia iisdem amplissima parat,
ut & ad æmulationem, qui nunquam peccaverant, sed sin-
cero amore ei perpetuo adhæserant, irritentur. Exemplum
nobis est plane memorabile de perditus ille apud Lucam fili-
us. Promittit etiam, se, si qui resipuerint, peccatorum ipso-
rum ne quidem meminisse velle. Annon vero decuerit Jo-
suam hanc Divini Patris beneficentiam imitari, ut & ipse fili-
us inde demonstraretur ejusdem? Poteratne hoc Gibeonita-
rum tam infelicitum exemplum reliquos in Cananæa Gentiles
ad Divinæ religionis amplexum incendere?

§. XIII.

Non exiguum quoque pondus sententiæ de gentili Gi-
beonitarum religione conciliat V. historia de memorato
II. Sam. XXI, 2. Saulis zelo pro filiis Israel & Juda, ex quo
percutere quæsiit Gibeonitas. Refert enim sacer Scriptor,
Saulem aliquando, Regem de cætero pietati & timori DEI
minime deditum, non animo tantum suo proposuisse, sed
omni quoque studio eo annisum fuisse, ut eosdem deleret,
qui tamen ob jusjurandum ipsis præstitum jam ex quadrin-
gento-

gentorum pene annorum spatio in coetu Israelitarum tolerabantur, si recte numerant *Lutherus & Calvinus*; cur alii nonnulli interque illos & *Dorschaus* noster in *Theolog. Morali* centum tantum nominent, me quidem omnino latet. Vox: **וַיִּבְקַשׁ** aliquando singulari diligentia & fervore aliquid querere significat, ut I. Sam. XXII, 23. I. Reg. XIX, 10. 14. Quam emphasin & hoc loco textus circumstantiæ requirunt. Quæsit autem: **וַיִּבְקַשׁ לְהַכּוֹתָם** *ad percutiendum illos*: **הַכּוֹתָם** vero non tantum manu aut instrumento alio verberare significat, sed frequentissime ad occidionem usque percutere, aut saltem in exilium alios mittere, ut fame pereant aut alia miseria. Ita enim exponunt ipsi Gibeonitæ, vers. 5. **כָּלְנוּ** *consumpsit nos*, &: **לְמַעַן לֹא נִשְׁמְרָנוּ מִהַחַיִּיב בְּכָל גְּבוּל יִשְׂרָאֵל** *omnes suas curas contra nos direxit ut destrueremur, neque possemus subsistere in omnibus finibus Israelis*. Putat celeberrimus Interpres *Doct. Seb. Schmidius* utrumque hic dici, nonnullos ex Gibeonitis casos esse, alios ita pressos, ut aufugerint ex finibus Israelis in exilium. Ad tantam vero impietatem progressus Saul est non sine schemate pietatis; zelavit enim pro filiis Israel & Juda. Consentiant omnes, **זֶלֶם** quando cum **ל**, ut hic, constructur, zelum bonum denotare. Sed indubitatum simul est, zelum illum prætextum tantum boni zeli, non bonum reapse fuisse. Quanam vero in re constiterit, quia Scriptura id totidem verbis non exprimit, vehementer dissentiunt Interpretes. Quo in argumento prolixissimi sunt *Tostatus & D. Seb. Schmidius*. Quidam autumant, (quos inter & ex nostris *B. D. Mœbius Disp. I. de admirando DEI judicio adversus posteros Regis Saulis §. 16.*) Saulem Gibeonitas urbibus suis expluisse, ut Israelitæ possidere easdem possent. Quod ab aliis ex eo merito refellitur, quod jam olim urbes ipsorum & quidem Kiriathearim tribui Judæ Jos. XV, 60. XXIII, 14. reliquæ vero tres Benjaminitis Cap. XVIII, 25. 26. ad judicatæ fuerint. Nec dubium ullum est, etiam occupatus ab ipsis fuisse. Cur enim distributæ inter tribus illas fuerint, nec tamen ab ipsis in po-

testatem redactæ? Alii ministerium serviendi Sacrario ademptum Gibeonitis & Israelitis collatum fuisse censent. Verum jam ipse *Abulensis* obvertit, ministerium istud non pro beneficio collatum, sed impositum in maledictionem fuisse. Expressus *D. Mæbius* ibid. ex Sanctio: *munus illud ignobilium potius fuit servorum, quam illorum, in quibus aliquid est honestum & ingenuum. Quid enim tanti est ligna cadere & comportare aquas? Nemo, credo, Israelitarum in vacuum illud ministerium succedere optasset, quia neque honestum erat, ut patet, neque magnum sperari poterat ex illo lucrum.* Ipse *Totastus* meliorem, ut patat, affert sententiam, judicasse nempe Saulem, pessime & contra legem Divinam fecisse Josuam, quod Gibeonitas in Israelitarum religione interposito juramento toleraverit. Quare corrigere ipsum Josuam voluisse, & dignitatem legi Divinæ, exitio involvendo Gibeonitas, restituere. Quod vero alii ita improbabile esse censent, ut nec refutatione indigeat; præcipue cum nec ulla quidem ratione subnitatur. Sunt, qui zelum illum exercitum a Saule fuisse opinantur, dum civitatem Nob excidit, I. Sam. XXII, 19. quo facto Gibeonitis, tanquam Sacerdotum servis, omnia domicilia & victus adminicula subtracta & fame ipsis pereundum fuit. Quæ opinio ceu veterum quorundam Rabbiorum, stultitiam potius sapit hujus gentis, quando ex suo ingenio aliquid confingunt, quam probalitem ullam, cum ne cogitatione quidem quis assequi possit, quomodo cædes Sacerdotum & Gibeonitarum exilium tunc quidem temporis aliquid afferre potuerit Israelitis utilitatis. *Immanuel Tremellius*, verosimilius esse, zelum hunc Saulis adversus Gibeonitas pro Israelitis tum fuisse exercitum, cum pythones & ariolos exterminaret e terra. I. Sam. XXVIII, 3. 9. Rationem subjicit: *quia istius zeli commune fuerit gentes & gentium studia e medio Israelis tollere.* Videt equidem Tremellius, zelum Saulis fictitium non apposite magis quam ad odium erga religionem Israelitis exosam, h. e. gentilem, referri, quamquam non appareat,

pareat,

pareat, cur pythones illos & ariolos Gibeonitas esse fuerit persuasus, cum citra dubium ex omni Gentilium genere, quod in terra Israelitarum remanserat, arioli & pythones fuerint, neque ex justo bonoque zelo Saul fecisset, si tales ex Gibeonitis vel morte vel exilio mulcasset, cum nec Israelitis ex Divina lege parcendum fuerit, si hoc criminis genere fuissent infames. *D. Seb. Schmidius* Biblicarum difficultatum & indefessus & solertissimus indagator, quia nec ipsi ulla superiorum sententiarum satisfecerat, lectoris quidem arbitrio relinquit, quid pro materia zeli Saulis reputare velit, novam tamen simul conjecturam, quam nemini tamen obtrudit, maturius considerandam proponit. Nempe occasionem Gibeonitas occidendi vel expellendi e locis suis & bonis nactum esse Saulem, cum egregio scilicet prætectu, quando tam filii Israelis quam Judæ a Philistæis infestati & plurimi eorum occisi aut ex urbibus suis expulsi sint. Verba sunt: *Cum enim, ubi pro filiis Israelis & Judæ zelo tangebatur, nec vindictam de Philistæis sumere posset, iram suam in miseros Gibeonitas, tanquam Cananeos & Philistæorum cognatos, (quos forte etiam collusionis cum hostibus reos fecit) convertit, eosque occidere vel omnibus tribubus Israelis expellere conatus est.* De qua vero quæ vere conjectura est, nihil aliud dicimus, quam illud ipse *us Schmidii: prudentibus judicium permittimus.*

§. XIV.

In tanta vero sententiarum, quæ solido fundamento omnes destituuntur, diversitate minimæ difficultati obnoxia illa est, quæ dum Gibeonitis adhuc Saulis tempore fuisse Gentiles asserit, zelum interpretatur de ardore, quem præferat in promovenda vera religione dissipandaque gentili. Zelum Saulis non fuisse ex bono integroque animo profectum, sed confictum & simulatum, ut nempe filiis Israel & Judæ placeret, consentiunt rei veritati convicti omnes. Non vero pote-

rat feliciori eum in finera prætextu uti quam religione. Quid enim pium magis est & Rege dignius, quam omni animi sui impetu ferri in propagandam religionem veram & in incidendos nervos religioni falsæ? qua præcipue re favorem nobis comparamus vulgi & totius communionis. Favorabilior equidem & qui majorem applausum mereretur, non poterat excogitari prætextus, cum in reliquis omnibus animi hypocrisis & malitia magis transluceret. Poteratque etiam hos Gentiles, tanquam urbibus & rebus omnibus exutos, adeoque imbelles, sine ullo negotio & difficultate vel tollere e medio vel exilio mulctare. Est hæc sententia omnium simplicissima & ne uni quidem earum difficultatum obnoxia quas opiniones ante recensitas premere supra ostendimus. Verum enim est perpetuoque manet illud Tremellii, jam antea memoratum: *zelus erat natus judæis, ab ipso nempe DEO illis implantatus & longa temporis consuetudine in naturam quasi versus, gentium studia odisse.*

S. XV.

Priusquam hinc abeamus, diluenda sunt, quæ objectari possunt. Dicunt enim primo, cum Saul dicatur zelum exercuisse pro filiis Israelis & Judæ, non posse dici, quod pro Jehova, aut lege Jehovæ, saltem immediate, id fecerit. *Resp.* Bene est, quod additur: *immediate.* Esto enim, immediate contra legem DEI Saulem non dici zelum exercuisse, sed mediate tantum, sufficiet equidem zelum exercuisse pro lege & religione, [quomodocunque tandem exercuerit. Nam neque in textu dicitur immediate exercuisse pro religione. Deinde sat graves causas habuit Scriptor, cur immediate eos nominaret, pro quibus zelum Saul exercuerit, quam materiam, in qua exercuit. Quia nempe eam immediate exprimere causam voluit, cui zelo suo placere intendit, ut hypocrisis impii Regis eo fieret manifestior. Philosophi dicerent, nomi-

nari

nari immediate objectum zeli non reale sed personale, ut tamen reale personali includatur. *Dicunt secundo*: Saulē, sicut ipsa Scriptura de eo conqueratur, tam pium & religiosum non fuisse, ut cultum Divinum curaverit, & cordi ipsi fuerit, quinam ligna cæderent & aquam haurirent. Ipsam Arcam fœderis omnibus diebus suis eundem neglexisse. *Resp.* Aliud est vere pium & religiosum esse, aliud exterius simulare pietatem & religionem. Quamcunque assumeris superius recensitarum opinionum, zelus in iisdem non verus & ingenuus, sed ementitus & confictus deprehenditur, nemine ullo auctorum id inficiante. Quomodo igitur a nobis requiri potest, ut zelum Saulis repræsentemus ex integro sinceroque animo profectum? *Dicunt tertio*: Ne etiam commodum aliquod nominari posse, quod ex hoc zelo ad Israelitas redundaverit, cum tamen id verba clarissime velint: *zelum exercuit pro filiis Israel & Juda.* Quale fuerit commodum, filios Israelis & Judæ, qui suas in terra hæreditates jam habebant, ministerio ligna cædendi & aquas hauriendi adhibere voluisset? *Resp.* Ne quidem adversarum opinionum patroni pronuntiare indubitato possunt, quid zelo suo filiis Israel & Judæ Saul lucratus fuerit? *Certi quid,* ait *D. Seb. Schmid. inventum ab Interpretibus non est; quare etiam pro certis quicquam tradere abstinemus. Conjecturant tantum Interpretes, quod utique licebit & eligi poterit, quod magis vero videtur simile.* Qui igitur nos adigi queamus, ut certum nominemus, quo Israelitæ ex zelo isto gavisi fuerint, commodum? Potest id a nobis æque ac ab illis ignorari, & tamen olim extitisse. Si conjecturis locus est, dici poterit juxta *Serarium*, Saulē totam ex asse Gibeonitarum possessionem Israelitis asserere voluisse. Quamquam enim illis Gibeonitæ urbes suas jam diu cessissent, quippe in distributione Israelitis datas & partim a Levitis actu possessas, Jos. XXI. 17. domos tamen habebant, quas incolerent, habebant forte & agros, habebant supellectilem, habebant saltem eorum nonnulli conquistas manuum opera facultates; quæ

singula si in Israelitarum redigerentur potestatem, non exi-
 gua ipsis commoda procurare poterant. Dicitur juxta
R. Dav. Kimchi: **שגור שלא יהיו הגבעונים תוטבי עצים**
ושואבי מים לבית יהיה כי אמר מוטב שיהוי מושראל
 : *decrevit, ut non amplius essent Gibeonita*
cadentes uigna & haurientes aquas pro dome DEI; cogitavit
enim melius esse, ut essent ex Israele ministri coram Jehova. Du-
 plici modo intelligi hoc potest; *primo*, quod honorificentius
 esse dictaverit, ut Saccis fervirent Israelitæ veri Ecclesiæ cives,
 quam Profelyti, dimidiam vix religionem Judæorum amplecten-
 tes; addimus nos, quam Gentiles, extra Remp. fidelium exi-
 stentes. Atq; hoc modo sese exponit *Sal. Ben. Melech* in *Michlal*
Jopbi: **לוישראל הגבעונים שרמו בעבור שרמו הגבעונים לוישראל**
eo quod sese ex-
tulerint Gibeonita supra Israelis. Ita & plane *רבינו ישעיה* in
Bibliis Buxtorff ad marg. **בעבור שרמו אותם** *eo quod super-*
be extulerint seipsos. Deinde, ut, quicquid hactenus mercedis &
 commodi ex Gibeonitarum laboribus ad ipsorum sustentatio-
 nem fluxisset, posthac dimanaret ad Israelitas. Nec enim pu-
 tandum est, omnes Israelitas, Saulis imprimis tempore, quo ab
 occupatione terræ Canaan quadringenti anni effluxerant, at-
 que adeo intra tot seculorum & annorum spatia in immensum
 sese multiplicaverant, facultatum & rerum omnium copia abun-
 tasse. Fuerunt citra dubium inter illos innumeri, qui & ipsi
 molesta manuum opera se suosque alere, atque adeo infelici-
 tatis aliqua parte, si subire infima illa in templo ministeria &
 comparare inde sibi aliquam victus quotidiani materiam ipsis
 daretur, ponere possent. Dicitur juxta *R. Sal Jarubi*, ist-
 hoc zelo Saulem benevolentiaæ populi sese insinuas-
 se, **בתהו לב לנקות ולטהר את ישראל ולעשות צדכיהם בקש**
להורגם *ut apponeret cor suum ad mundandum & purgan-*
dum Israelem (a semi-gentili nos dicimus a gentili populo) &
ad faciendum omne desiderium, ideo quaesivit occidere Gibeonitas.
 Quantum enim Profelyti Judæorum subirent odium, constitu-
 tio Talmudica, inde a *Maimonide* extracta & tractatu de *Prose-*
lytis

lytis adjecta, Cap. I, §. 18. significare nobis potest, cujus verba sunt: **וַיֹּאמְרוּ חֲכָמִים קְשִׁיּוֹם לָהֶם גְּרִיּוֹם לְיִשְׂרָאֵל בְּנִגְעַת צָרַעַת שְׂרוּבֵן חֲזָרִין בְּשִׁבִיל דְּבַר וּמִטְעִין אֶת יִשְׂרָאֵל וְקִשְׁר הַרְבֵּר לְפָרוֹשׁ מֵהֶם אַחַר שְׁנַתְגִּירוֹ צֵא וְלַמַּד מֵה אִירַע בְּמַרְבֵּר בְּמַעֲשֵׂה הָעֵגֶל וּבִקְבֻרוֹת הַתְּאוּהָ וּבִן: i. e. *Qua- propter dicunt Sapientes, quod Profelyti graves sint Israelitis, si- sut plaga lepra; quippe plerique eorum relabuntur ob rem suam & seducunt Israelitas; difficile enim est, separari ab iis, postquam Profelyti facti fuerint, accedas enim & discas, quid evenit pro- pter eos in deserto, in casu vituli aurei, & Kibroth Hatava, uti pariter & pleraque tentationes initium habuerunt a colluvie Profelytorum.* Favorem nempe populi & spem successionis in regno aucupans e contrario facto, cum antea ab eadem ab il- lo rejectus esset, quia gentili Amalekitæ pepercisset: prætextu utens, ut *R. Levi Ben Gerson.* existimat: **שַׁעֲשֵׂה זֶה בְּעֵבֶר הַתְּחַבְּלוּ אֲשֶׁר הָבִיאוּ בָרָה נְשִׂאֵי יִשְׂרָאֵל לְהַשְׁבֵּעַ לָהֶם:** *faciendum id esse propter dolum & astutiam Gibeoni- tarum, qua adduxerant Principes Israelis, ut jurarent ipsis.* Quæ conjecturæ omnes singulæque non minoribus rationibus aut infirmiore probabilitate nituntur, quam quales earum conjecturarum, quas ab aliarum sententiarum defensoribus commendari videmus.**

§. XVI.

Atque hæc fulcra sunt ejus sententiæ, quæ Gibeonitas & accessisse ad Josuam Gentiles & in ipso ministerio circa sacra peragendo tales mansisse, nisi quod subinde nonnulli veræ reli- gioni voluntatem suam submiserint, admodum probabiliter asseverat. Quam placuisse cum quibusdam nostræ religionis Doctoribus tum nonnullis ex Pontificiorum Reformatorum- que cœtu deprehendimus. E *Reformatis Tremellium* supra adduximus; e *Pontificiis Cass.* Sanctius adstibulatur. E *Luthe- ranis*

Vanis Vinarienses in Bibliis Ernestinis locum II. Sam. XXI. ita παραφραζοι: vers. 1. Daß er die Gibeoniter getödtet hat: Welches aus unzeitigem Eifer geschehen / indem er sie als noch übrige heydnische Völker vertilgete / wider den Eydschwur / den Josua ihnen / Gibeonitern gethan hatte. Et vers. 2. Saul suchte sie zu schlagen in seinem Eifer für die Kinder der Israel und Judas: dieselbe von denen Cananäischen Völkern gänzlich zu befreien.

§. XVII.

Sed verò hujus sententiæ veritas eorum animis, qui de ea forte, dubitaverint, efficacius illabatur, si excussis adversarum opinionum fundamentis robur inciderimus, ostenderimusque eorum imbecillitatem. Qui itaque sentiunt, Gibeonitas veræ religioni nomen suum dedisse, antequam ad ipsorum fines pervenissent Israelitæ, imò antequam, legatos suos ad Josuam mitterent, saltem legatis in mandatis dedisse, ut ad amplexum religionis Judaicæ, quantum quidem illius a Profelytis Portæ requirebatur, si aliter receptio in deditioem obtineri nequeat, sese offerrent, eo cum primis argumento moveri videntur, quod Jos. IX, 9. dicant Gibeonitæ: *Venisse se ex remota regione in nomine Domini Jehovæ Josuæ, de cujus fama & quicquid Ægyptiis atque Amoraïs fecisset, audiverint.* In quibus verbis duplicem latere rationem ajunt, cur credi possit, propositum jam tum Gibeonitis fuisse, religionem suam cum veriore mutare & illam, quæ filiorum Noachi dicitur, amplecti. *Primo* quod asserant, se venisse in nomine Jehovæ DEI Josuæ, h. e. ex ipsius mandato & impulsu, quem intra sese sentierint, cuique obsequium præbere apud se constituerint; *deinde*, quod allegent famam de miraculis, a DEO in Ægypto & deinde a Josua patratis, quæ fama de vera Ecclesia medium sit vocationis Divinæ ad gratiam, quod Gibeonitæ non contempserint, sed eodem moti ad Josuam venerint, uberius ab eodem

dem ex ipso DEI ore de vera religione edocendi. Quod tamen iterum video duplici modo intelligi; *primo*, ut fama istorum miraculorum timorem, ipsis servilem injunxerit, quo sibi & salutis suæ metuebant, per quem tamen nihilominus eos DEUS ad veram religionem, ex accidenti nempe & præter ipsorummet intentionem & voluntatem, deduxerit. Ita *Andr. Masius, Bruxellensis*, in amplissimo pulcherrimoque in *Jos. Commentario*. Deinde ut miraculorum istorum diffusa ad ipsos fama vere illos convicerit, DEUM Israelis verum esse DEUM, cujus nomen colere posthac & adorare vellent. Cum idem prorsus dicatur de Rahab, Jos. II, 10. 11. 12. quæ tamen inter vere fideles refertur. Jac. II, 25. Ebr. XI, 31. Quæ opinio adscribitur ex Judæis *R. Nachmandi* & ex Christianis *Augustino & Lyra*.

§. XVIII.

Primo & ante omnia firmiter statuendum nobis est, præcepta illa filiorum Noachi, ut ubique præferuntur a Judæis & crepantur, purum putum esse Judæorum, qui sequiori tempore vixerunt, figmentum, non veterum Israelitarum traditionem. Si enim talis aliqua religio vel semi religio potius Israelitica, septem illis Articulis, quos supra recensuimus, constans, & tamen æternam salutem eandem profitentibus promittens, primis illis & quasi Divinis Ecclesiæ temporibus a DEO approbata extitisset, anne putabimus, tot sacros scriptores suspicaci illam & æterno quasi silentio contexisse? Quæ vero, rogo te, illa est religio, quæ credenda & agenda universa VII. Articulis concludit, quorum unus, qui de sanguine & suffocato agit, mere ad ceremoniam & Judaicam legem pertinet? Nec enim ideo æterna & universalis lex est, quia Noacho data est, cum & sacrificiorum habuerit legem, a qua tamen Profelytos suos eximunt Judæi. Unde *D. Seb. Schmidus* ad Gen. IX. 4. *Est hoc præceptum aliquod ceremoniale, fundatum in sacrificiis, quæ & ipsa ceremonialia. Quia enim in sacrificiis*

D

san

Sanguis animalium pro animabus eorum DEO effusus est, ad expiandas hominum animas, ideo illi hæc reverentia haberi debebat, ut non hominibus comederetur. Inter sex vero reliquos articulos solus primus credenda complectitur, ne nempe idololatriam vel in idolis vel in imaginibus committerent Noachidæ, sed unum colerent DEUM. Scilicet nihil necesse fuerat scire Noachi filiis de personarum Divinarum Trinitate, nihil de Messia caput serpentis contrituro, nihil de ejus persona & officio, nihil de passionibus pro genere humano tolerandis, nihil de fide in ipsum collocanda, nihil de conversione ad DEUM per pœnitentiam, nihil de resurrectione mortuorum & futuris in altera vita vel præmiis vel pœnis. Hæc postrema gentibus moratoribus quodammodo erant cognita & illi tamen una cum cæteris ignoraverit Profelytus Judaicus? Cur vero inter decem Decalogi præcepta sola quinque illa, quæ filiis Noachi data esse dicuntur, suffecerint ad religionem cum spe salutis æternæ conjunctam? Igiturne filiis Noachi nullus erat, DEO cultus publicus præstandus? Non erant parentes, magistratus, præceptores honorandi? Neque erat sibi a falso testimonio cavendum? Nec denique vitandæ varii generis concupiscentiæ? Gentiles traduxerint honestiorem vitam necesse est, quam illi religionis Judaicæ Profelyti, si hæc ipsa, quæ naturalis legis sunt omnium cordibus inscripta, vel ignoraverint vel ad ea non fuerint obligati. Apage aridam illam & minus quam Philosophicam atque naturalem, ut *Augustinus* vocat, religionem! Nec regeri potest, tolerari tamen inter Israelitas hos potuisse, tanquam crassis idololatriis longe meliores, & a quibus metuendum non esset infectionis seductionisque periculum. Non enim negamus, gentilibus inter Judæos habitantibus impositum fuisse, ne crassiori idololatria Judæos offenderent, libentiusque toleratos inter illos esse, qui honestam & ad naturalem atque Philosophicam gentilium religionem compositam vitam duxerunt, sed hoc tamen dicimus, non ideo hos tales Profelytos, h. e. veri DEI cultores, quibus æterna vita per illam religionem speranda esset,

set,

set, fuisse, aut desisse, esse gentiles. Nam & his ipsis, tanquam veri DEI cultoribus, animarum Judæi promittunt salutem, & cur vero periculum ejusmodi non fuerit metuendum? Qui enim Messiam ejusque officium fabulis accensebant, qui publici DEI cultus fuerant contemptores, qui neque præmium post hanc vitam sperabant neque formidabant pœnam, quibus religio non erat calumniis circumvenire proximum ejusque inhiare bonis, cur non ad capitalia hæc scelera & alios, quantum in se est, adducere vel voluerint vel potuerint? Non enim solius idololatriæ periculum fuerat declinandum, sed omne id, quod salute excludere poterat. Ideo enim ex justo judicio relictos tales in terra esse DEUS profiteretur, ut seducerentur Israelitæ, quia seduci vellent. Quod si dixeris, præcepta ista moralia universa tanquam VII. Noachicis inclusa, servanda fuisse, tum merito regeritur: cur igitur Noachidas non ad Decalogum potius a DEO ipso ortum, quam ad Heptalogum quendam, ab incerto auctore confictum, adstringunt? Cur ita VII. illis solis Profelytos subjiciunt, ut reliqua ipsis, præcipue illud de Sabbato, nec sub mortis pœna servandum sit? Vid. ea de re *Job. Lundius de cultu Hebræorum publico Cap. 73.* Clarissimum hinc est, religionem illam, ceu dicitur, Noachidarum, inventum esse recentium Apellarum, quod nullum habet in Scriptura aut vera Antiquitate fundamentum, quantumlibet antiquitatem supra-Talmudicam mentiatur, & a Scriptoribus quibusdam nostris, qui totum hoc negotium non satis mature considerant, recipiatur. Origo commenti est, quod in colendo uno quoad personam DEO Judæi cum Gentilibus melioribus amice conspirant & alium, quam qui per Divinæ legis impletionem comparatur, justificandi salvandique modum ignorant, neque vim peccati intelligentes neque Divinæ justitiæ rigorem. Consentit quoad Profelytorum Portæ religionem nobiscum *Paulus Slevogtus, Disp. de Profelytis*, Operibus ejus Jenensibus inserta, §. III. ubi dilerte ait: *hos Profelytos idolis solummodo renunciasse & servasse communes humani generis leges, gentilismo*


cetera retento. Quamquam, dum sub fin. Disp. §. XLVIII. Judæorum benignitatem erga hos Profelytos, quantumvis a Judaismo alienos, eo usque prædicat, ut dicat, *multo minus livoris eosdem habere, quam multos ex Christianis, qui sæpe nimis ad damnandum proclives sint & vel ex una voce, ut putant, incongrua, plures hereses cudant, quam olim Hercules Hydra Lerneæ decussit capita;* animum prodit, ne quid gravius dicamus, nimis Philosophicum, h. e. naturæ & equidem corruptæ adhærentem. Itane igitur gentilibus, apertis juratisque DEI hostibus, quos tanto ubique odio prosequitur DEUS, ad blandiendum est, & quidem in re, sanctitati religionis Christianæ, nisi palam Naturalismo aut Indifferentismo bona verba dare velimus, e diametro adversa, e contra aculeis & insectationibus veritatis professores compungendi, si vel maxime in defendendæ veritatis severitate excedant? Non amplius memores sumus illius Apostoli? *ἔστε ἡξίστημεν, Θεῷ ἔστε σωφρονῶμεν. ὑμῶν;* quod recte *Lutherus* reddidit: *Thun wir zu viel / so thun wir's Gott / sind wir maßig / so sind wir euch maßig.* II. Cor. V, 13. Nos interea argumentum de Profelytis, nobis oppositum in adversam nobis sententiam planissime retorqueamus: Si Gibeonitæ hac sola conditione fuerunt recepti, ut fierent Profelyti Portæ, E. gentiles fuerunt & Gentiles manserunt. Quod adeo verum est, ut ipsi Judæi hos Profelytos passim appellerent *חסידיו אמות העולם* *pios gentiles seculi*, & *צדיקי*, *justos gentiles seculi.* Si gentiles, quomodo fideles? Quomodo, ut dicitur in *Hilcoth. Melach. Cap. VI.* & repetitur a *Maimon. iii. de Profelytis Cap. III. n. II.* *יש להם חלק לעולם הבא* *pars ipsis est in futuro seculo?* Ergone sine Christo obtingit salus & sine fide placere possumus DEO? Act. IV, 12. Marc. XVI, 16. Act. XV, 11. Hebr. XI, 6.

§. XIX.

Ex quo simul evidens est, febriculosam esse consequentiam, cum ita colligitur: Gibeonitarum legati venerunt ad
Josu-

Josuam in nomine DEI, de cujus miraculis plurima ex fama cognoverant: E. vel jam ante receperant præcepta Noachidarum vel ad ea recipienda sese optulerant. Quod enim nunquam fuit, neque est unquam, id neque recipere nec ad id recipiendum offerre nos possumus. Quod si dixeris: id saltem certum esse, venisse eos in nomine Jehovæ DEI Israelis, adeoque ejus impulsu motuque, quod fidem in Jehovam, miraculorum fama conceptam, supponat. Quomodo enim venire possint in nomine Jehovæ, qui Jehovam haud agnoscant? Quomodo non credere in illum, qui eundem celebrent? At vero constat inter plerosque Interpretes, quicquid in illis verbis jactant Gibeonitæ, ex mero furo & fraude, quam Panicus ipsis metus expresserat, profectum fuisse. Præferiebant Jehovam & miracula ipsius verbis, re ipsa mentiebantur. *Fallaci nominis DEI prætextu obnubilarunt mentem Josuæ*, ait ad hunc locum Calvinus. Et quanquam non negetur, etiam servilem hunc timorem a DEO ad ipsorum conversionem fuisse directum, nondum tamen sequitur: E. reapse vel fuerunt conversi vel animum habuerunt sese convertendi. Poterant enim reluctari DEI directioni, quemadmodum revera reluctati sunt, quando Josuæ mendaciis suis imponunt, non diffitente, quem supra allegavimus, *Abarbanele*. Cæterum cum Gibeonitæ dicunt: **באו עבדיך לשם יהוה אלחין**, *venerunt servi tui leschem jehovæ DEI tui*, duplex apud Philologos interpretatio frequentatur: quarum prior **לשם** vertit: *ad nomen, vel famam*. Quo pacto statim exponi putant in seqq. verbis: **כי שמענו שמעו** *quoniam audivimus famam ejus*. Quod & convenientius particulæ: **ה** esse videtur, cum non dicatur: *venerunt*: **בשם** *in nomine*, sed **לשם** *ad nomen Jehovæ*. Quam inter Rabbinos, ne de Christianis plurimis dicamus, tenet R. *Abarbanel*, cum scribit: **בשם השם כי** *Dicunt: ad nomen Domini, quia audiverant in terra sua, quid ipsis fecerit DEUS*. Posterior vero nomen DEI ad religionem refert, ut pos-

tum sit: **יְהוָה** pro: **יְהוָה** *ad nomen*, pro: *in nomine*; ut adeo sensus juxta *Lyranum* sit ille: maximis & admirandis DEI tui facinoribus, quæ fama ad nos pertulit, adducti sumus, ut eum velimus verum agnoscere DEUM; atque adeo huc profecti foederi nobiscum jungi cupimus & vestram cum societate religionem amplecti. Rectiorem hanc opinionem illa priore vocat sed nulla addita ratione *Job. Henr. Heideggerus in labor. Exeget. posth. p. 196.* Verum si maxime posterior recipiatur expositio, ille tamen, quem Lyra ex eadem exsculpsit, sensus nulla necessitate consequitur. Non enim insolens in scripturis est, ipsos nonnunquam Gentiles venerari vel ex metu vel ex rei veritate nomen Divinum, quando nempe Jehovaham una cum aliis Diis colebant. Sic Laban, idolorum cultor, in colloquio cum Jacobo patriam suam repetente, Jehovahæ nomen in testimonium invocat, Gen. XXXI, 49. 50. 53. quæ invocatio species quædam est religiosi cultus, & vers. 29. profitetur, DEUM Jacobi ipsi in somnio noctu apparuisse, vetuisseque ne Jacobum quocumque modo læderet. Cui DEI præcepto etiam morem gessit, & idololatra nihilominus permansit. Ita *Corn. a Lapide* ad h. l. Idem in ipso quoque DEI populo multoties contigisse, ut cum vero DEO simul idola colerent, passim in Sacris edocemur. Unde & aliquando Samuel ad populum: *removete a vobis Deos peregrinos, & Astaroth, & DEO soli servite, & tum a Philistæorum vos manibus eripiet*; 1. Sam. VII, 3. & jam ante illum ad eundem prorsus modum Josua Cap. XXIV. 13. Nec ignota est historia de Arca foederis, a Philistæis in bello capta & dein ob calamitates publicas ipsis ideo inflata, remissa. Ubi ipsi Philistæorum Sacerdotes & Principes eximiam plane & plus quam vulgarem præ se ferunt Jehovahæ, Israelitarum DEI, venerationem. Nolunt eandem remittere sine muneribus aureis, quibus DEUM propitient, 1. Sam VI, 2. & gloriam ei tanquam DEO Israelis, tribuant; vers. 5. Recordantur infelicissimi calus Pharaonis, noluntque ad ejus exemplum corda sua obdurare. vers. 6. Quanta sunt
hæc

hæc & agnitionis & timoris & cultus Divini *αἰτία*? Quæ cum nonnulli apud *D. Brentium* cum idololatrarum impietate conciliare non possent, a Diabolo Philistæorum consilia sub quadam pietatis larva eum in finem inspirata fuisse contendunt, ut Arca ex Philistæorum finibus, tanquam suimet ipsius cultui vehementer noxia, quantocius eliminaretur. Ipse *Brentius* ea singulari DEI inspirationi adscribit, eo cum primis argumento motus, quod dicant Sacerdotes gentiles, ut *deus DEO Israelis gloriam*. Certe, inquit, hæc non sunt demonis, sed Spiritus S. verba. *Dæmon enim hoc solum quarit, ut suam gloriam statuat & gloriam DEI Israel obscuret, quomodo igitur cultores suos admoneret, ut gloriam DEO Israel darent?* *D. Seb. Schmidius* vero, quamquam illa consilia plerique alii ipsius naturæ ratiocinationibus tribuant, non tamen veretur illa mediaturæ seu ordinatæ DEI per verbum operationi adscribere. Verba sunt: *Ejus meditationes & conclusiones profecto a Diabolo non sunt, nec ex solis naturæ viribus, sed memoria verbi DEI & historia populi Israelitici, adeoque ex Spiritu S. qui per verba & facta DEI hominibus manifesta & nota facta in cordibus hominum operatur.* Quare si maxime his Philistarum Sacerdotibus & Divinatoribus nolimus hoc loco (ut in Bileamo) tribuere singulare Propheticum donum aut extraordinarium Divinæ gratiæ instinctum & revelationem Spiritus S. non potest iis tamen denegari ordinaria Spiritus S. in iis operatio, per ea, quæ ad illos ex verbo DEI emanarunt & quæ DEUS inter istos & in Ægypto fecit. Quæ si vera sunt, ut equidem summa probabilitate non destituuntur, quidni & in nostro loco ex recordatione veterum historiarum, Spiritu DEI eo usque in iis operante, potuerunt Gibeonitæ veri quoque DEI virtutem agnoscere & deprecari, eoque respectu impulsos se motosque esse, ut fœdus cum Israelitis ambirent, profiteri, & in gentilitate tamen sua ex animi proposito persistere potuerunt? Ut silentio involvamus alteram sententiam, quæ τὸ  juxta literam: ad nomen seu famam interpretatur, longe com-

communiorem esse, & a plerisque etiam nostrarum partium approbari. Ex qua tamen multo minus sequitur, conversos jam fuisse Gibeonitas, vel animum sese convertendi habuisse, ubi ad Josuam veniebant, cum ex adductis paulo ante exemplis luculenter constet, etiam Gentiles veri DEI facta nonnunquam summis laudibus &, ut Apostolica forma utamur, cum timore & tremore deprædicasse. Postremo Rahabæ exemplum admodum dissimile Gibeonitarum esse pleriq; agnoscunt. Quos inter *Andr. Masius*, Ictus quidem, sed interpres longe laudatissimus: *Quod ad Rahab attinet, ait, multo sane illa fidem suam declarabat apertius, cum illo aperte uteretur epiphonemate: Dominus DEus vester est DEus in cælo supra & subter in terris. Unde & R. Abarbanel: הנה כזה נתנה השלמה לכה: הידועות שזכרה: ecce istis verbis ad fastigium quasi deduxit omnem illam de DEO & miraculis Divinis scientiam, quam ante memoraverat. Quare & in N. T. fides Rahabæ elata in cælum est, cum e contrario de Gibeonitis nihil quicquam legatur.*

S. XX.

Progrediendum nunc nobis est videndumque, an forte & quibus argumentis probari possit, Gibeonitas, postquam semel in tutelam populi Israelitici recepti sunt, Profelytismo nomen dedisse, eique vel ad mentem Judæorum, ut ad VII. præcepta Noachidarum sese adstrinxerint, vel ad mentem Christianorum, ut universam fidelem Judaicam, eamque vel exceptis ceremonialibus vel iisdem simul inclusis (qua in opinione est *Alph. Toftatus*) fuerint amplexi. Ut vero aliquem teneamus argumentorum ordinem, facto ab infirmioribus initio, gradum faciemus ad fortiora. *Primo* igitur provocatur ad ipsam conditionem terræ Cananæ, quæ ex instituto Divino ab omni gentili impuritate immunis esse debebat. Unde & terra sancta appelletur. Non igitur tolerari medios inter Israelitas potuisse exosum & execrabile DEO hominum genus, Gentiles, nec

nec inficerent sordibus suis Israelitas & ad parem idolorum cultum eosdem seducerent. Quod argumentum inprimis *Andr. Masius* ea ratione suffulcit & confortat, quod *ea regio peculiariter DEO dicata fuerit, quippe in qua desideratissimum ab omnibus seculis mysterium olim esset perficiendum celebrandumque, quo cælum ipsum mortalibus recluderet DEI Filius, eternus ab eterno Patre in mundum missus.*

§. XXI.

Non immerito imbecillitatis suspicionem ideo incurrit hoc argumentum, quod a paucissimis Christianorum interpretibus, veriore imprimis religione imbutis, usurpatum legamus. Quomodo enim cum laudata hac terræ promissæ paritate consistere potest, quod, diserte DEUS ipse testatur, ideo se reliquisse in illa Gentiles, quod cum prohibuerit ne cum quoquam facerent pacem, voci tamen DEI illi nequaquam morem gesserint. *Tum dicebam: ait DEUS, non expellam eos a facie vestra, & erunt vobis in flagellum laterum & dii ipsorum erunt vobis in laqueum, Jud. II, 3.* Non equidem negatur, salutare DEI consilium fuisse, ut terra sancta ab omnibus sordibus Ethnicorum esset immunis, quamobrem & tot tantisque comminationibus & maledictionibus populum suum, ne cuiquam hominum parceret, addita ratione, ne in tendiculam ipsis & ruinam cederent, adstrinxit, sed simul semper adjecit, si mandato huic obsequium non præberet, fore, ut in justam ipsius poenam ipsi perpetuo cohabitarent. Memorabiles sunt minæ Divinæ: *quod si non expuleritis habitatores istius terre a facie vestra, utique erit quicquid reliquum feceritis ex eis, in spinas oculis vestris & in aculeos lateribus vestris, & hostiliter agent vobis cum in illa terra, in qua habitaturi estis. Eritque ut, quemadmodum cogitavi facere illis, faciam vobis. Num. XXXII, 55. 56.* Talia eadem cum *ἐπιφοῖσαι* leguntur Jos. XXIII, 12. 13. *Cura itaque Israelitæ multas gentes, quas inter & Gibeonitæ fuerant,*

E

fuerant,

fuerant, non expulerint, Jud. II, 2. ex justo DEI judicio non tantum immunis ab iisdem terra esse non poterat, sed illi potius medios inter Israelitas degere & partim occasionaliter & ex accidenti ad apostasiam illos subinde sollicitare, partim dominationem quoque & tyrannidem in eosdem exercere debebant. Quid vero omnes libri sacri post Josuam nostrum aliter referant quam turpes Israelitarum ad gentilium idololatriam defectiones, ob quas justus DEUS populo iratus modo in hujus modo in alius Regis gentilis potestatem eosdem detrusit? Integris tribus post Josuam seculis vix unquam pura in Cananæ religio effloruit, quin pressi a gentilibus & sub jugum missi ipsorum sacra frequenter assumerent, qua de re omnibus paginis conqueritur *Judicum* liber. Neque longam moram traxit reformata a Samuele, Davide & Salomone religio. Nam post hujus mortem integræ X. tribus idololatria quasi perpetua fuere commaculatæ. Davide regnante Jebusæi ipsum terræ sanctæ meditullium locumque, ubi sacra DEO Israelis solennissima fieri debebant, adhuc occupabant, quem demum David ipsis eripuit. Salomonis adhuc tempore in Cananæa supererant multi ex Amoritis, Chittitis, Pherefitis Chivvitis & Jebusitis, quos devovere exitio Israelitæ non poterant, & quos ideo Salomo tributarios fecerat. 1. Reg. IX, 20. 21. Philistæi quoque Sidonii alique nunquam ab Israelitis sed demum in captivitate Assyriaca & Babylonica ab ipsis gentilibus everfi fuerunt. Sub imperio Josiæ, Jojakimi & Zedekiæ tanta fuerat vere religionis corruptio, ut non satis verborum invenire Jeremias potuerit, quibus Judæorum idololatriam & fornicationem cum gentilium Diis spiritualem describeret. Eos ait gloriam suam, i. e. DEUM gloriosum per mutasse cum inani idolo; quum rem exhorrescere debeat cœlum & terra contremiscere. DEUM vivum fontem eosdem deserere & effodere sibi cisternas fractas; quot urbes habeat Juda tot habere Deos; Jer. Cap. II, II. 12. 13. 28. XI. 13. Israelem fornicatum esse cum Diis in omnibus altis montibus & ad omnem arborem virentem. Judam vero nihilo meliorem,

liorem,

liorem, imo Israelem justum esse præ perfido Juda, Cap. III. 6. 8. II. Hæcne fuerat terra ab idololatria immunis? quam Jeremias ipse ob idolorum cultum pollutam & immunditie contaminatam vocat, Cap. II, 23. III, 9. Si unquam ab immunditie istiusmodi libera esse Cananæa debuisset, par videretur & æquum, ut illo tempore hac gloria gauderet, quo purissimus DEI & Mariæ Filius in hunc mundum prodierat, ut equidem colligere videtur *Mafius*. Quæ tamen vix unquam fuerat corruptior. Quanquam enim idola tum non coluerint Judæi, ex ipso tamen DEO, qui extra Filium suum coli non vult Joh. V. 23. quemque illi pedibus conculcaverunt, idolum mentis suæ fabricarunt, ne uno quidem fidei dogmate apud ipsos residuo. Hujus rei assidue ab ipso Christo, teste Evangelica historia, fuerunt redarguti, qui hunc ipsum in finem natus est, ut veræ religionis esset restaurator. Quibus ita demonstratis ne speciem quidem ullam amplius retinet opposita nobis objectio.

§. XXII.

Alphonsus Tostatus eo quoque argumento evincere laborat; Gibeonitas Profelytos factos fuisse, quia hi facti fuerint servi Israelitarum perpetui. Tales autem adstrictos fuisse ait ad circumcisionem, juxta tenorem mandati Divini Exod. XII. 44. *si quis sit servus ex Gentibus emtus, hic circumcidatur & tum comedat de Agno Paschali*. Quemadmodum ergo servi Israelitarum emtitii eo ipso, quia perpetuam Israelitarum servitutem erant damnati, ceu diserte dicitur Levit. XXV, 46. (cum qui ex Israelitis in servorum sortem redigebantur, eos anno Sabbatico magno, si interea ab aliis non liberarentur, manumitti oportebat) circumcisioni adeoque toti legi subjecti fuerunt: ita ob eandem servitutis æternitatem in Gibeonitis eundem etiam conversionis effectum consecutura fuisse concludit.

§. XXIII.

Quanquam apud alios hoc argumentum haud facile in-

veniat, credo quod robori ejus diffidant, non tamen specie quapiam destituitur. Fundamentum eidem præbet lex Divina: *Si quis sit servus ex Gentibus ematus, hic circumcidatur.* Cum qua plenissime conspirat mandatum Abrahamo factum, quo jubeatur *circumcidere vernam & emum argento de omni filio alienigena.* Gen. XVII, 12. Mira hic sententiarum sunt divortia. Invitum cogendum esse servum, ut circumcideretur, quia DEUS absolutum in omnes imperium habeat, possitque jubere quicquid velit, statuit *Corn. a Lapide.* Insolens hoc videri non decet in Jesuita, qui armis & equuleis, Dragonicis nempe ad Gallorum exemplum artibus, ad fidem compelli posse etiam invitos profitentur. Bestialis hæc est religio, quæ *frano & capistro homines ceu mulos & equos adducit ad DEUM,* Ps. XXXII, 9. Quam DEUS præcipere non potest, quia peccatum, quale coacta fides & hypocrisis est, præcipere non potest. Plura argumenta crudeli huic opinioni opponit *D. Seb. Schmidius tract. de circumcis. p. 478.* Vidit hoc ex eodem Pontificiorum coetu *Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus,* qui hanc circumcisionem in servis non signum fuisse profitendæ Judaicæ religionis, sed tantum Politicam notam, qua ad familiarius cum Judæis consortium quam mercenarii, esumque agni Paschalis admitterentur, contendit. Siccine DEUS constitueret, ut Ecclesiæ suæ Sacramentum, quo foedus iustum erat inter DEUM & pecuniam ipsius, & per quod ab omnibus aliis populis Judæi discernebantur, in notam aliquam mere Politicam degeneraret? Procul absint a nobis tam profanæ cogitationes! Nec vero coacta hæc circumcisio ex eo colligitur, quod in hoc ipso servi a mercenariis discernentur, id quod præcipue urget *Cornelius.* Dabatur enim utique alia discrepantiæ ratio. Servi nempe sine circumcisione servi esse non poterant, quod poterant vero mercenarii. *R. Sal. Jarchi* מְצֻרָה mercenarium, גֵּיטִי, gentilem facit, Profelyto contradistinctum. Nec inepte. *D. Hottingerus in thes. Philol. p. 19.* quem sequitur *Job. Leusden. in Philol. mixto Diss. XXI. p. 148.* per mercenarios intelligit mechanicos peregrinos,

grinos, die frembde Handwercks Gesellen / quos ut plurimum vel desiderium experientiae vel exactior artis notitia solum patriae relinquere & cum exteris versari jubet. Nec hoc male. B. *Quistorpius noster* ad Ex. XXV, 40. mercenarios esse ait, qui ad certos annos conducuntur, probatque ex Es. XVI, 14. ubi mercenarii ad tres annos conducti fit mentio. Tales vocamus *Tagelöhner* / ceu & in hunc locum vertit *Lutherus*, non quod omnes ad certos annos (possunt enim etiam ad diem diesque) sed quod nonnulli, quos exempli loco e variis mercenariis ibi ficit *Propheta*, conducantur. Quid vero impedit, quo minus de utroque operariorum genere mercenarii intelligantur, ut tamen omnes juxta *Jarchium* fuerint גֵּוֹרְמָן, gentiles? Atque eo plane sensu *R. Lippomannus* apud *Drusium* in notis major. *Supplem. Bibl. Crit. Mercenarius est Gentilis in domo Judei serviens pro mercede*. Hi ad circumcisionem non adigebantur, quia secus ac servifamilias extra domus eorum degebant, qui Pascha comedebant. Non itaque poterant domestici servi, nisi circumciderentur, in familia tolerari, quia ob quotidianam familiaritatem & seductio erat facilior & inconveniens fuerat, totam familiam de Paschali agno comedere & abesse tamen servos, ejusdem familiae partes. Poterant vero tolerari sine circumcissione mercenarii, quia partes domus non fuerant, sed in separatis aedibus habitabant, operam tantum pro mercede Patrifamilias vel ad unum vel ad plures dies, menses, annosque locantes. Ex quo ipso tamen non sequitur, servos illos domesticos ad circumcisionem fuisse coactos. Si enim circumcisionem voluntarie subire renuerent, interposito datoque ipsis deliberandi spatio, gentilibus divendebantur. Id jam veteres Hebraei tradiderunt: Ita enim in *Schulch. Aruch*, apud *Schmid. de Circumcis. p. 478.* quod repetitur a *Maimon.* in אֲדָמָה *Constitut. de Circumcis. Cap. I, §. 6.* *Si quis emerit servum adultum a gentili, nec voluerit servus circumcidi, tentat rem cum eo per integros duodecim menses, diutius autem eum propeccatum retinere prohibuit; itaque iterum eum vendit gentilibus.* Quare

locorum Exod. & Levit. seufum recte ita repræsentat Rivetus: Iudæis cavendum, ne servos emerent, qui non essent parati suscipere religionem Judaicam & circumcisionem; Deinde ne Phasæ comederent, antequam circumcisi essent. Nec minus recte Grotius ad Gen. XVII, 13. *Incircumcisus quidem in terra Hebræis data vivere poterat sub bonis legibus, non item in domo Ebræi alicujus, ne mores exemplo diverso confunderentur, vel, ut loquitur B. Schmidius: ut Israelita in domibus suis non haberent religionis suæ contemptores, sed possiderent domos sanctas.* Ex quo facile intelligere datur, a servis domesticis ad servos extra domum existentes, nullam esse, quam nectit Tostatus, consequentiam, quantumlibet utrumque servorum genus sit perpetuum. Nec enim obligatio circumcisionis ex servitutis perpetuitate oritur, quippe cujus nullum est sive in Sacris sive in Traditione vestigium, sed ex eo, quod servus domesticus sit membrum ejus familiæ, quæ agnum Paschalem comedit, non item alius quicumque servus, extra familiam ad certas operas præstandas adstrictus. Illius generis servos hodie vocamus peculiari nomine die Knechte oder die Hauß-Knecht / item: die Diener / Kammer-Diener / Lacqueyen u. d. hujus vero: die Leibeigene Unterthanen; atque ab illis si in domos nostras suscipiamus, longe plura sive quoad scientiam sive quoad mores, quam ab his, hodieque requirimus, non obstante, quod & hodie uterque cum servus domesticus tum subditus possit nobis ad perpetuum servitium esse adstrictus. Cum itaque Gibeonitæ Israelitarum quidem servi, sed posterioris generis (nisi forte unum alterumque eorum ad subeunda domestica officia adsciscerent) i. e. subditi, qui dicuntur mancipia, Leibeigene Unterthanen / fuerint, ultro sequitur, ad mutandam religionem non fuisse obligatos.

§. XXIV.

Celeberrimæ memoriæ vir, D. J. Ad. Oslander in Observ. ad libros III. de jure belli & pacis Hug. Grotii l. II. c. XIII. ib. 2. 3. p. 946.

963. argumentum pro Gibeonitarum conversione videtur deducere ex prohibito Judæis cum gentilibus matrimonio. *Illi enim, inquit, non licitum fuit uxorem ducere de alienigenis, licebat vero si patriam desereret superstitionem: ita clementia etiam hoc in casu, ut nempe reciperentur in deditioem sub eadem deponendæ superstitionis conditione Gibeonitæ, adhuc locum habuit suum.* Prohibuerat nempe DEUS severissima lege, non contraherent Israelitæ affinitatem cum vicinis populis, gentili idololatriæ immerfis: *filiam tuam non dabis filio illius populi & filiam illius non accipies filio tuo, ideo quod seducturus sit filium tuum a me, ut serviat Diis alienis.* Deut. VII, 3. 4. Ratio hæc addita: *ne seducat te,* sponte innuit, ubi hæc causa cessat, cessare & legem ipsam adeoque Israelitam in matrimonio ducere posse eam, quæ per Profelytismum in communionem sacrorum Judaicorum antea introisset. Quod ajunt clarius patescere ex lege alia, qua permittitur, raptis in bello pulchellis mulieribus conjugio sociari, dummodo prius, qui rapuit, deduxerit in domum & per integrum mensem necessitudinem illa suam deflexerit, Deut. XXI, 11. seqq. Id quod Judæorum Doctores apud *Maimon. de Profelytis Cap. III. §. 5.* interpretantur: **מגלגל עמה כרי שתקבל אם קבלה ורצה בה הרי זו מתגיירת וושבלת: ככל הגרים:** i. e. interprete *Humphrido Prideaux, Anglo,* *persvadebit ei religionem Judæicam in se suscipiat & si velit suscipere & delectetur ea, ecce fiat Profelyta & baptizetur, sicuti cateri omnes Profelyti.* Nam ut postea §. 7. ait *Maimonides:* **אסור לישא אשה שלא נתגיירה** *prohibitum est ducere fœminam, quæ nondum facta est Profelyta justitia.* Et hæc omnino recte sese habent congruuntque cum Scripturæ sententia, sed nexus, quem *B. Osiander* facit, non videtur esse sine vitio atque defectu. Nam quod in uxorem capi non potuit fœmina gentilis, ex intima arctissimaque amicitia est, quam duo conjuges inter se contrahunt, qui non tantum in unius domicilii, sed & in unius thalami communionem, inque individua conjunctissimæque familiaritatis consortium transeunt, cum religionis di-

veritas

versitas facile disjungere animos & inter conjunctissimos odii simulatisque jacere semina possit. Maxime vero in suo populo talem diversarum religionum conjunctionem tolerare noluit supremus Legislator, ne pars idololatrica seduceret fidelem, quod eo facilius fieri poterat, quoniam ad idolorum cultum perpetua quasi inclinatione propendebat. Unde & toties repetitur: *ne scortentur filie vestrae post Deos eorum & scortari faciant filios vestros post Deos earum.* Ex. XXXIV, 16. Num. XXV, 1. 2. Deut. VII, 3. 1. Reg. VI, 2. Ut autem in arctiore isthoc contubernio ferre Israelitam & Gentilem non poterat DEUS, ita ferre potuisse in exteriori civili societate in populo suo alienigenas, postquam semel vel interposito juramento fuerant in dedicationem recepti, vel e terra sancta propria culpa non expulsi, ipso solis digito in Sacris scriptum extat. Jud. II, 3. & 1. Reg. IX, 20. 21.

§. XXV.

Postremo videntur, qui Gibeonitas justitiae Profelytos factos esse propugnant, praecipuum robur collocare in ministerio ipsis commisso. De quo sacer textus: *Sint caesores lignorum & haurientes aquas toti congregationi,* Jos. XI, 21. *maledictivos eris, ita ut non excindantur ex vobis servus & caesores lignorum & haurientes aquas domui DEI mei,* v. 23. *Dedit Josua eos caesores lignorum & haurientes aquas congregationi & altari Jehovae usque ad diem hanc.* vers. 27. Quod vero cum sacro hoc Gibeonitarum ministerio gentilissimus consistere non potuerit, variis rationibus comprobare nituntur Auctores. *Alph. Tostatus* provocat ad clarissima scripturae testimonia, quae gentilibus accessum nullum, nullum locum in sanctuario concedunt. Ita enim ille pro Scholastico seculi sui more perorat: *Patet hoc, quia Gabionitae ministrabant ad usus sanctuarii, scil. portantes aquas & cedentes ligna, quorum causa necesse erat introire in sanctuarium, non tamen permitterentur introire aut accedere ad sanctuarium, si in gentilitate manerent. Ergo conversi sunt.* Pa-

set antecedens, quia DEus vetuerat, ne quis de gentilibus introiret in sanctuarium, ut habetur Ezech. XLIV, 7. & Thren. I, 10. Gabaonite autem intrabant. Ergo non manebant in gentilitate. Doctissimus & eloquentissimus Masius ipsam ministerii & loci sanctitatem allegat. Verba sunt: Non fit quidem in Scripturæ verbis aperte religionis mentio, idq; ideo, ut arbitrantur nonnulli, quia Gabaonite ultro suas superstitiones cum Israelitarum religione commutassent; verum ut id secus esse putemus, quis non intelligit eos a fædo Demoniorum cultu debuisse alienissimos esse, qui in æde DEI Opt. Max. officio atque muneri alicui præessent B. D. Seb. Schmidius ad conversationem & quotidianum cum Sacerdotibus colloquium attendere jubet. Gibeonite, inquit, non erant religione gentiles sed in religione vera bene instituti: nam ministrabant Sacris Jehovæ, haurientes aquas & cædendo ligna; quod idololatriis nunquam concessum fuisset, versabanturq; semper cum Sacerdotibus, a quibus sine dubio probe instituti sunt B. D. Cal. in Bibl. illustr. notabile præcipue esse existimat, quod dicantur serviisse altari, i. e. ligna in interius atrium detulisse. Nec quicquam aliud designari, cum dicantur Gibeonitæ serviisse לַעֲרָה, congregationi, quam tabernaculum conventus & altare, non vero populum & altare, quippe cui labori pares non fuissent. Esse vero dignitatem longe majorem, altari DEI servire, quam quæ gentili convenire possit. Nescio utrum eadem sit sententia B. Schmidii, qui versiculum illum ita convertit: haurientes aquas congregationi; imprimis altari Jehovæ.

§. XXVI.

Ita quidem primore intuitu haud tralatitium videtur esse hoc argumentum, in quo tamen, si unum alterumque momentum paulo curatius inspiciatur, illico apparebit, id non habere in recessu, quod gerit in fonte. Et quidem ante omnia in animum nobis revocandum est, ministerium istud hauriendi aquas & cædendi ligna inter ministeria omnia omnium fuisse contentissi-

temtissimum abjectissimumque. Docere id nos possunt non hodierni duntaxat mores, ubi ejusmodi homines infimum in mortalium numero occupant locum, & lignorum præcipue cæsores, quippe in sylvis & agrestibus locis maximam vitæ suæ partem degentes, & ipsi feris quam hominibus similiore nonnunquam redduntur, sed fidem nobis quoque Divinum testimonium facit, quod ultimum barbaris vastisque his sylvicolis inter homines omnes locum assignat. Ita enim Moses, dum Ordines omnes Statusque populi Israelitici compellat: *Statis bodie omnes coram Jehova DEO vestro, capita vestra, tribus vestra, Seniores vestri, & moderatores vestri, omnis vir Israelis: Item infans vester, mulieres vestra & peregrinus vester, qui in medio castrorum, a fissore lignorum usque ad haurientem aquas.* Deut. XXIX, 9. 10. Ipsa ultimorum horum verborum: *fissor lignorum & hauriens aquas*, connexio cum immediate præcedenti: **הַגֵּר**, peregrino, arguit, jam tum etiam in ipsis caltris Israeliticis peregrinos, h. e. gentiles, qui non erant de Israele, officium istud ligna aquamque parandi cum in sacris tum in communi vita obisse. Plane ita. R. Sal. Jarchi: **מִלְבַד שְׂבָאוֹ בְנֵעֻנִים לְהַתְנִיִּיר בְּיָמֵי מֹשֶׁה בְּדֶרֶךְ שְׂבָאוֹ בְנֵעֻנִים כִּימֵי יְהוֹשֻׁעַ וְהוּא הָאָמֹר בְּבָעֻנִים וַיַּעֲשׂוּ גַם הֵמָּה כַּעֲרֹמָהּ וְנִתְנַם מִשָּׁהּ** Docere vult Moses, quod venerint Cananei, ut fierent Profelyti in diebus Mosi, ad eum modum, quo venerunt Gibeonite in diebus Josue; & istud est, quod dicitur de Gibeonitis: & fecerunt etiam isti per fraudem, (hoc vult dicere Rabbi, non frustra Jos. IX, 4. vocem: **גַּם**, etiam de Gibeonitis dici, cum pari fraude jam ante ipsos Cananæi deceperint Mosen) & fecit eos Moses findentes ligna & haurientes aquas. Quod si peregrini & gentiles fuerant jam Mosi tempore inter Israelitas, quibus magis conveniebat, molestam illam & inhonoram operam Israelitis ubique victoribus præstare quam iisdem? Et cum jam tum in tentorio apud altare DEI lignis aquisque indigebant, anne putabimus, hanc operam subisse Israelitas, exclusis ab eadem peregrinis? Et quamquam R. Salo-

mo affirmet, hos ipsos Cananæos Profelytos factos esse, id equidem nescio qua probabilitate dicatur, cum in deserto, ubi vel centies castra mutabant Israelitæ, credibile non sit, ob exiguum temporis spatium, quo singulis in locis morabantur, vicinos gentiles, qui panem interea suum vilissima hac manuum opera quærebant, gentili & patriæ religioni nuntium misisse. Et si vel maxime Profelytorum numero illi accessissent, inter gentiles tamen cenferi & אֲמֹת atque אֲמֹת esse nequaquam desissent, ceu jam supra fusius demonstravimus.

§. XXVII.

Deinde vero dicuntur quidem Gibeonitæ inserviisse altari congregationi ligna findendo & aquam hauriendo, sed exinde tamen ipsorum officium aut plane non redditur sacrum, aut remotissime certe redditur. Nec enim quotquot ad sacrorum exercitium quocunque modo aliquid conferunt, sacrorum ministerio proprie sic dicto admoveri, aut in congregationis seu Ecclesiæ ministrorum numero esse censendi sunt. Nisi & hodie sacrum Ecclesiæ officium obeant carbonarii illi, atrum & sylvestre hominum genus, qui quotannis materiam prunis aptam, qua hyeme carere non possumus, ad hoc conducti, advehunt; aut mulieres istæ quæ certis temporibus converrunt sacram ædem & a quisquiliis sordibusque purgant. Non est ille lignorum in sylva cæsar ideo Regiæ vel Ducalis aulæ minister, quia ad hoc conductus est, ut toto anno nihil aliud agat, quam ut ligna pro aula cædat, neque is rusticus eodem honoris nomine gaudet, qui eadem ligna ad aulam quotidie semperque curru advehit. Solemus & hodie ad ejusmodi ministeria omne hominum genus, etiam nullius pretii, adhibere, quamquam ad servitia Ecclesiæ alia, quæ vicini ore cum Divino cultu habitudine gaudent, homines nonnisi modestos gravesque, qua fieri potest, admittamus. Eo cum primis loco, ubi variarum religionum cultores una habitant, ne quidem ullum inter illos facimus

discrimen, idque citra omnem cujuscunque hominis offensio-
nem. Quid igitur impedit, quo minus & Gibeonitæ manere
gentiles & tamen ministeriorum illi ultimo sordidissimoque po-
tuerint addici? *B. D. Mæbius* ad argumentum nonnullorum,
quo contendunt zelum Saulis adversus Gibeonitas inflamma-
tum fuisse ex eo ministerio, quod in templo obierint Gibeoni-
tæ, quasi illis a sacro loco aliquid etiam sacri adhæserit, candi-
de respondet: *Sed hæc recte rejicit Lyra. Nam manus illud igno-
bilium potius fuit servorum quam illorum, in quibus est aliquid in-
genuum & honestum. Quid enim tanti est, ligna cadere & com-
portare aquam, quæ ut subierint Gabaonitæ, supplicii loco impositæ
fuerunt a Josua? Quare MINISTERIUM ILLUD SACRUM
NON ERAT, cum obiri posset, etiam si illorum nemo taberna-
culum aut templum ingrederetur. Neque erat, ut illos zelo Israe-
litarum extinctos vellet Saul, quasi Israelitæ commoditate illa pri-
varentur. Quæ enim commoditas esset alligari tam duro servitio
& alienæ semper parere voluntati? Nemo, credo, Israelitarum in
vacuum illud ministerium succedere optasset, quia neq; honestum
erat, ut patet, neq; magnum sperari poterat ex eo lucrum. Negat
fuisse sacrum ministerium: Ergo etiam a profano homine pot-
erat administrari.*

§. XXVIII.

Jam porro non poterit ullo indicio ostendi, quod hi ligno-
rum cæsores & aquam haurientes lignum aquamque deporta-
verint in tentorium vel in templum. Dicuntur enim לִיָּבֵי
non adportantes vel advehentes sed *findentes* sive cædentes ligna
&: שׁוֹאֲבֵי, non adferentes sed *haurientes* aquas. Quæ
operæ & hodierno usu longissime differunt. Cæsis enim at-
que fissura lignorum proprie dicitur de ea opera, qua arbores
a trunco suo per securim abscissæ in partes combustioni idone-
as secantur; Germani dicunt: *Holz fällen und Holz hauen*
quod fit in sylva, ubi foecundus est arborum proventus. Unde
Deut. XIX, §. dicitur: *qui cum proximo suo sylvam ingreditur ad*
cadem-

cædendum ligna & lædit eum securi, confugiet in asyla. Cæduntur ergo ligna juxta consuetum loquendi morem proprie tantum in sylva; quando vero ligna in partes diffissa alio deportantur, isthæc actio, a cæssione diversa, peculiari voce designatur, utpote cum apud Ezech. dicitur: *non adferent ligna ex agro neque excident ex sylvis.* Cap. XXXIX, 10. Cum vero Scriptura in Gibeonitarum ministerio solius fissionis mentionem faciat, cur nos actionem aliam, a fissione plane diversam, sine causa urgente adjiciemus? Dubiumque plane est, utrum in direptione urbium pagorumque Gibeoniticorum (nec enim Gibeonitis jurejurando aliud quid promissum est, nisi ut in vita conservarentur, Jos. IX, 15. 18. 19. 20.) quicquam jumentorum relictum fuerit, quibus advehere ligna in sacrarium potuissent, cum apportatio, quæ manibus fit, ex tanto locorum intervallo ex iis omnino sit, quæ per rerum naturam fieri nequeunt. Nec vero etiam, quando aquam hausisse dicuntur, ulla necessitate ejus simul apportatio involvitur, quippe quæ nec ipsa manibus peragi citra prolixissimas ambages tanta quidem in copia, quanta in sacrario requirebatur, potuisset, potuisset autem breviori longe compendio & faciliori opera vectura, qua dubio procul Gibeonitæ destituebantur, in effectum deduci. Quod autem in Cananæa neque abundarent tum quidem fontibus, neque intra urbium ambitum iis semper gauderent sed integræ civitates (cum, quod ubique fontes effodi possint, forte tum nondum cognitum fuerit) extra muros suos haurire aquam pro se & jumentis necesse habuerint, non simplici exemplo edocemur. Nam cives ex urbe Nachor Gen. XXIV. 11. singulis vesperis exire atque aquam haurire solebant, descendentes nempe in fontem & aquam haurientes, vers. 16, qua canales juxta fontem positos replebant, vers. 20. Non minus ex urbe Samaria ad vesperascente die mulieres egrediebantur ad fontem Jacobi, Joh. IV, 6. qui cum profundus esset vers. 11. non sine difficultate aqua hauriebatur. Videntur igitur omnino Gibeonitæ & ligna tantum in sylvis cæcidisse & aquam hausisse ex fontibus, reliquam vero operam,

qua & ligna & aqua in locum sacrarii transveherentur, alius reliquisset, nisi ex solidioribus fundamentis, Gibeonitis utrumque laborem subeundum fuisse fuerit comprobatum. Interea tamen si res ita prout a nobis disputatum est, sese habuerit, facile cernere est, argumenta ex sacro ministerio in ipso sacrario peracto desumpta in caducum inclinare parietem, cum ejusmodi opera pro igne quidem in altari fovendo & variis in loco sacro lotionibus instituendis exantlata fuerit, sed cum ipsis sacris actionibus nihil commercii habuerit neque ideo sacri ministerii nomen quocumque modo promeruerit.

§. XXIX.

Præterea non desunt in ipso V. T. exempla, ubi Gentiles ad res & ædificia sacra laborem operamque suam contulerunt. Ab Hiramio Syriæ Rege Salomo artificem expediit, qui auri metallique tractandi peritus vasa & ornamenta sacra affabre conficere nosset, qualem inter Judæos eo tempore, quo templum ædificabat, non habuerat. Cumque ab Hiramio Hiram Abif Tyrius, mulieris ex tribu Dan. II, Chron. II, 14. & parentis ex tribu Naphthali I, Reg. VII, 14. filius, mitteretur, vasa sacra omnia ex nutu Regis absolvit. *Rabbi* quidem *Sal. Jarchi* ad II, Chron. II, 14. Hiramum hunc Judæis accenlet: At verba enim: *Et pater ejus vir Tyrius*, notat: יהודי הוּרָם יושב בצור *Judeus erat habitans in Tyro*, cui in religione similem credit esse filium; non tamen levis suspicio est, Hiramum hunc Gentilem fuisse, sive ipse a Judaismo defecerit sive parens ipsius. Jam diu enim erat, ex quo parens gentili civitati Tyro insertus Hiramum genuerat, & Hiram ipse in aula gentili artificio suo vocabat. Quare & *Lucas Osiander* ex hoc exemplo colligit, præstantissimos sæpe artifices inter Ethnicos reperiri; DEum enim ea Spiritus S. dona, quæ ad æternam salutem nihil faciunt, plerumque liberalius in incredulos effundere quam in filios suos, quippe qui de vita æterna magis quam de hujus seculi splendore

re

re solliciti sint. Alii apud *Matth. Polum* pronunciant, quod opera gentilium templum ædificatum sit, duplex mysterium insinuare, partim nempe gentilium vocationem, partim quod piis liceat Ethnicorum artibus, scriptis & factis uti. Inter eos est pientissimus *Brentius* noster, qui mysterio non vacare inquit, quod ad ædificationem templi non *Judæi solum assumuntur, verum etiam Ethnici, quales erant Tyrii & Sidonii.* Quod si *Judæus* fuerit *Hiram*, servi tamen & subditi *Hirami Regis gentilium* religioni fuerunt addicti, qui tamen una cum servis *Salomonis* cædendis e *Libano cedris*, cum ejus rei peritus inter *Israelitas* haud esset, operam dederunt. Nec id tantum, sed præterea arbores infinito numero excisas easque ratibus impositas mari usque in *Japho* deduxerunt, ut inde *Hierosolymas* transferrentur, *I. Reg. V, 9. II. Chron. II, 16.* Quæ opera quamquam ad excitandam *Hierosolymis* ædem sacram non aliter ac *lignariorum nostrorum* ad conservandum sacrum ignem destinata fuerit, non tamen ideo servi *Hirami* ministri sacri & per consequens *Profelyti* effecti fuerunt. Si dixeris, lignum cæsum fuisse extra *Judæam* & a *Salomone* pretio suo coemptam, quod utique *Judæo* non minus ac alia permutare mercimonia licuerit; tum sistimus centum & quinquaginta tria millia peregrinorum, in terra *Israelitica* a *Salomone* reperorum, quos omnes ad usum sacrum, templum nempe ædificandum adhibuit, ut essent סובלים, portantes onera & חוצבים, excidentes lapides alias que id genus materias. *Vulgatus* quidem & cum eo *Grotius* per hos גֵרִים intelligunt *Profelytos*, potissimum, ut puto, *Gibeonitas*, deinde qui temporis tractatu ex aliis gentilibus in terra sancta relictis iisdem accesserant. Quæ res mihi plane incredibilis videtur. *Gibeonitas* enim *Saul* ita attriverat, redegeratque in eas angustias, ut vix nomen ipsorum post tantam cladem & vindictam a *Saulis* posteris sumtam, amplius audiat in sacris. Ex reliquis vero populis quis unquam sibi perseverarit, tam portentosum numerum *Israelitarum* religionem amplexum fuisse, cum ne semel quidem ullius, qui *Judæorum* sacra

sacra susceperit, fiat mentio, e contrario frequentissime me-
 moretur ob quamcunque facile causam Israelitas ad gentiles
 fuisse relapsos. Longe igitur verosimilius *R. Dav. Kimchi* ad
 II, Chron. II, 17. scribit: **ואפשר שהגרים האלה הם העם**
הנותר מהאמורי ומז החתי והפרזי והיבוסי כמו שאמר בסמוך
כי אותם העלהו שלמה למס עד היום לעשות לו
מלאכתו, & interpretes, quod peregrini isti sint populus ex
Amoritis & Chittitis & Pberesitis & Jebusitis relictus, sicuti dicit
in sequentibus, quod eos Salomo redegerit in tributum usq; ad diem
hunc, ut facerent ipsi opus suum. Ita exponit verba in sacro textu:
למס עובר *ad tributum servientis, vel, ut Schmidius reddidit:*
servientium. Ex quibus recte colligit Rabbi nationes illas Cana-
 nitarum non ad tributum tantum, vel plane non ad tributum,
 sed ad alias etiam operas atq; servitia obligatas fuisse. Nec a *Kim-*
chio dissentit *R. Abarbanel* ad I. Reg. IX, 21. ubi diserte **העם כל**
הנותר מן האמורי וגומר אשר לא מבני ישראל המר. רועה
לומר שלא נתגירו אותם העלה שלמה למס עובר שהיו
עובדים בגופם לא שיתנו מס זהב וכסף כי אם מס עובר
ומאלה היו השבעים אלף חוצב בתר ושמנים אלף
omnis populus relictus ex Amoritis & ceteris, qui
non erant ex filiis Israel: (verba sunt textus) vult dicere, qui non
facti fuerant Profelyti, quos retulit Salomo in tributum servien-
tis, (denuo verba textus) ut servientes essent corpore suo, non
vero ut darent tributum auri & argenti, sed tantum tributum ser-
viens. Et ex istis fuerunt septuaginta millia cadentia in monte
ligna, & octoginta millia portantia onera. Atque hæc senten-
 tia, nisi variis nos absurditatibus involvere velimus, omnino re-
 cipienda est; ex qua vero sequitur, etiam gentiles ex more
 veteris Ecclesiæ Israeliticæ, non obstante ipsorum religione, o-
 peram suam ad res sacras conferre potuisse, atque reapse etiam
 contulisse. Quod si & Gibeonitæ fecerunt in labore vel non
 dissimili, vel etiam ignobiliore, quid causæ est, quod ad con-
 versionem ipsorum tanquam cum functione ista necessario con-
 nexam argumentari velimus?

§. XXX.

Constare hinc potest, quam impertinenter loca illa Ezech. XLIV, 7. & Thren. I, 10. a *Toftato* adducantur, ad probandum, quod Gibeonitæ non potuerint servire templo in procurandis lignis & aqua, nisi antea fierent Profelyti. Nam, ut, quæ antea fufe a nobis ostensa sunt, haud repetamus, quod nempe ministerium ipsorum ne quidem attigerit tentorium aut templum, sed occupatum fuerit in sylvis & locis depressioribus, ubi ligna cædi & hauriri aqua poterat, apportatio vero, cujus nullo ullibi indicio fit mentio, aliis relicta fuerit, notorium est, in templo non unas fuisse areas seu atria, quorum omnium primum, quod ad reliqua aditum patifaciebat, gentium fuerat, hunc ipsum in finem a DEO dispositum, ut gentiles eo usque venire & hauriendæ verioris de DEO notitiæ occasionem nancisci possent. Qui in hoc atrio erant, in templo esse dicebantur. Ut itaque Gibeonitæ, si vel maxime ad hanc usque tentorii templique partem aquam lignumque portassent, gentilismum deponerent, opus non erat, cum aliis quibusvis gentilibus ad eandem aditus pateret, nedum iis, quibus peculiaris opera, templi usibus interserviens, in eadem præstanda fuerat. Sed vero ne quidem de atrio gentium sermo est Ezechieli & Jeremiæ, sed vel de universa terra Israelitica, quæ sanctuarii nomine quibusdam venit, Exod. XV, 17. vel de sanctuario stricte sic dicto, quod Jeremiæ tempore jam occupaverant Chaldæi & gentiles alii, h. e. de atrio Israelitarum & Sacerdotum, deque interiori templo una cum Sancto Sanctorum, ceu ex Ps. LXXIX. 1 exponit *B. D. Hülfemannus*. Equidem & hoc fuerat gentilibus prohibitum, ne in atrium interius aut in templum ipsum ingrederentur, & quidem sub capitis pœna, ut ex Josepho & Philone probat *Grotius*; idque certius elucescit ex exemplo Pauli, qui quasi Trophimum secum in templum ejusque atrium interius, in quod venire non poterat tantum Paulus, sed in casu purificationis debebat, deduxisset, severissimam Judæorum accusationem incurrerat: *Hic homo, inquiunt, introduxit Græcos eis τὸ Ἱερόν in Sacrum &*

G

ἕκαστος

κειόωνωκε τὸν ἅγιον τόπον τῆτον, & profanavit sanctum hunc locum Act. XXI, 28. Neque inficiatur Paulus vers. seq. contra legem, si non Divinam, tamen Ecclesiasticam se fecisse, si eis τὸ ἱερόν secum sumisset Trophimum, non item, si in atrium gentilium, quippe quod profano & tam gentilibus quam Judæis patente, ut recte hic notat *B. D. Calovius*, reputabatur. Sed neque Ezechieli neque Jeremiæ de solo loco sermo est, sed partim de impia impiorum Sacerdotum Judaicorum in templo sacraficatione, partim de idololatrica templi per gentiles profanatione, dum sua simul idola in templum invehentes, Sacerdotes ipsis constituerunt, qui iisdem non minus ac Judæi suo DEO, sacrafacerent, quæ sacraficandi ratio DEO abominabilis fuerat. Clarissimum hoc inde est, quod se revocat DEUS ad veterem constitutionem: *non veniet Ammonita aut Moabita in congregationem Jehovæ, ne ad generationem quidem decimam.* Deut. XXIII, 4. Nec enim Ammonitæ & Moabitæ, si maxime ad fidem Judaicam converterentur, ad ullos in Rep. Israelitica honores poterant admitti, vel ad decimam usque generationem, si quosdam extra ordinem & quasi per dispensationem Divinam exceperis. Si vero hi populi gentiles, quantumlibet Profelyti, recipi in civilegium Judaicum haud poterant, quando minus alii, ne quidem conversi, admitti ad templum & sacrorum administrationem potuerunt? Quidem Judæi, interque eos *R. Sal. Jarchi* in Threnis tantum sermonem esse de Ammonitis & Moabitis censent: אֲמֹנִים וְמוֹאָבִים inquit: *hi sunt Ammonitis & Moabita.* Hos Chaldæis sese junxisse scribunt & ex proposito profanasse templum, vindicatuos se ab infamia, qua eos scilicet in Scripturis notaverant Israelitæ. Id quod *Rabbineum* commentario in Deuteronomii locum vocat *Job. Lorinus*, i. e. ut puto, fabulosum. Quamcunq; vero adductarum sententiarum assumeris, cadit *Abulensis* argumentum & vim omnem amittit.

§. XXXI.

Postremo nec id quidem momentum pro adversa sententia

tia

tia fortiter, ut nonnulli sibi, persuadent, militat, quod dicantur
 serviisse Gibeonitæ templo & altari, Jos. IX, 21. 27. utque
 hoc servitium tantummodo sacrum faciant, etiam vocem:
 הערה & כל הערה *conventus & omnis conventus*, cui primum
 nempe vers. 21. ad serviendum dicuntur addicti, interpretan-
 tur de templo seu omni conventu sacro seu Ecclesiastico, & qui-
 dem in loco vel conventus vel tabernaculi, non de universa
 multitudine in privatis tentoriis, quippe quibus sufficere non
 potuerint Gibeonitæ ad hæc servitia. Unde & fiat, ut postea in
 duobus versibus aliis restringantur hæc ministeria diserte ad do-
 mum Domini & altare. Frustra, inquam, hæc urgentur. Nam
 & Tyrii atque Sidonii & Giblym seu Gebalæi ligna cæcidisse di-
 cuntur & adaptasse lapides *pro domo Domini*, cum apud Israe-
 litas nemo idoneus ad hoc opus reperiretur. I. Reg. V, 6. 18.
 Et Haram universa instrumenta sacra, Cherubinos, columnas,
 altare, mare fustum, boves, labra, candelabra, mensas, ollas,
 palas, crateres, narratur confecisse II. Chron. IV, 11. Qui tamen
 ideo Profelyti facti non sunt. Præterea quam coactum atque
 contortum est; vocem הערה, *conventus*, & כל הערה *omnis*
conventus & quidem opposite ad altare Domini, utrumq; nimi-
 rum servitutis objectum per copulam ו, conjungendo, de con-
 ventu tantummodo sacro & conventum sacrum de altari, cui li-
 gna apportanda erant, interpretari, ceu fecit supra B. D. Calovius &
 ante ipsum Andr. Masius atq; ex nostris B. Müllmannus? Cum in eo
 ipso Capite vox: הערה, *congregationis*, quater de toto cœtu, v.
 15. 18. 19. usurpata legatur, cui in mentem veniat aliter hic accipi,
 cum ministerio לכל הערה, *universæ*, ut jam olim Vulga-
 rus reddidit, *multitudini*, seu ut in ultimo versu, *cuncto populo*
 obstricti fuisse legantur? Neque vero ideo secum pugnat Scri-
 ptura, cum modo universæ multitudini, modo soli altari, mo-
 do utrique officium Gibeonitarum attribuit; nam jam olim
 animadversum a R. Dav. Kimchi est, multitudini serviisse usq;
 ad terræ divisionem, quamdiu in castris versabantur, quæ ser-
 vitus post occupatas a qualibet tribu terræ promissæ partes ne-
 cessaria-

cessario cessaverit, cum in tantam regionum amplitudinem
 haud diffundi Gibeonitæ & singulis de aqua & ligno prospicere
 potuerint. Verba Judæi sunt: יהיו ויהיו: זה המקרה קצר
 כי הנשיאים אמרו יחיו ויהיו חוטבי עצים ושואבי מים
 והמקרה אחר דרך קצרה ואמר ויהיו בפתח הויו לשון
 עבר ויהיו כאשר דברו לחם הנשיאים וזה מעור כי כן
 אמרו להם הנשיאים ומה שאמרו הם לכל העדה ויהושע
 אמר להם לכות אלהים הנה כיצר כל זמן שהיו העדה
 כמתננה עד שלמה נחלקה הארץ היו חוטבי עצים ושואבי
 מים לעדה אכל לאחר שנחלקה הארץ והיו ישראל
 בעירו ובנהלתו נשארם חוטבי עצים ושואבי מים לבירה
 Vivant & fuerint. *Verba sunt textus*) Sermo est mysticus, quia Principes dixerunt:
 vivant & sint cedentes ligna & haurientes aquas. Scriptura
 vero arripit viam brevitatis & dicit: vajibju per pathach sub
 Vav, adeoque conversivo Futuri in Præteritum: & fuerunt, sicut
 locuti sunt ipsis Principes, idque indicat, quod ita locuti sint
 Principes. (Hoc nempe vult Rabbi, esse permissionem sermo-
 nem Josuæ & Principum; Principes in Futuro dixisse: vivant
 & sint servi; Josuam vero in Præterito simul referre & describe-
 re, quid facti fuerint Gibeonitæ) Quid vero est, quod dicunt illi:
 omni cœtui, & Josua econtra dicit ad ipsos: domui Domini? Ec-
 ce quomodo? omni nempe tempore, quo fuit cœtus in castris, quo-
 usque terra non fuit distributa, erant frudentes ligna & haurien-
 tes aquas cœtui; sed postquam distributa est terra & Israelitæ in
 urbibus suis fuerunt & in possessione sua relictæ sunt illi tantum cæ-
 dentes ligna & haurientes aquas domui DEI in Gilgal, in Schilob,
 in Nob & in Gibeon. Res adeo clara est, ut Judæis Hebraismi
 peritissimis, ne quidem in mentem venerit, ערה: τὸ aliter nisi
 de tota congregatione accipi posse. Quod novo præterea argu-
 mento confirmat R. Abarbanel ad h. l. dum scribit: וכיון
 שאמרו לכל העדה נתפייסו העם כי השבו שבוח יהיו
 cum dicunt: toti cœtui, placare & permulcere vo-
 lunt populum, quoniam is cogitaturus esset, quod hoc pacto ipsius
 futuri essent servi: Quæ ratio ex connexionione desumpta est, cum
 Princi-

Principes sedare populi murmur & indignationem vellent. Cujus vis nec latere ipsum *Masium* potuit, qui eandem tanquam admodum verosimilem laudat, non obstante, quod contrariæ opinioni fortius adhæreat. Ut tamen simul summa cum modestia testetur: *quamquam nolim hoc defendere pertinacius, si quis contra pugnet.* Quæ omnia profecto ita comparata sunt, ut summam inducant probabilitatem, primo utique Gibeonitas toti Israelitarum cœtui, dein vero occupata & distributa terra promissa tentorio & altari inserviisse. Ita & sentiunt *Munsterus, Vatablus, Clavius, Cornelius, Schmidius, Heideggerus.* Quæ sententia non destruitur per id, quod Gibeonitæ non suffecerint ad servitia tantæ multitudini præstanda. Cur enim non suffecerint? Non animo nostro concipiendus est exiguus horum hominum manipulus, qui & regia civitate & urbibus tribus aliis & pagis ideo quam plurimis gaudentes integram citra dubium provinciam repræsentabant. Si vero soli inservierunt altari, otio interea, donec tentorium certum, ubi subsisteret, locum occuparet, diffluerint hi servi necesse est. Quis hæc crederet?

§. XXXII.

Unicum superesse videtur dubium ex eo desumptum, quod communis fere omnium opinio sit, Davidis tempore, ubi cultus divini Numinis in solennissimum perpetuamque ordinem redactus est, Esdr. VIII. 20. Gibeonitas nostros Nethinim seu Nethinæos ab ipsa prima eorundem constitutione dictos esse, quando de iisdem Josua: **ויתנם יהושע כיום ההוא חוטבי עצים**: *dedit eos Josua sissores lignorum cum cæteris.* Ubi vox: **ויתנם** & *dedit* seu *posuit* eos, a **נתן** *dare* vel *ponere* est, a **נתן** vero descendunt **נתינים** *Nethinim*, de quibus non minus dicitur loco Esdræ allegato: **שנתן** *quos dedit* vel *constituit* David, seu *dedicavit* operi & ministerio templi mox ædificandi; quasi dicas, *dedit* titios seu *datos* & *donatos* templo, & consequenter ad usus sacros: quemadmodum hodie nonnunquam Ecclesiæ vel Pastori cuiquam rusticus unus vel rustici plures a Patrono dantur vel donantur, qui dicuntur *Kirchen-Bauern*

und Pfarr-Bayrn/ qui ad operas vel corpore suo vel etiam jumentis obeundas eidem sunt adstricti. Ita *Vatablus*, *Godwin*, *Lundius* & infiniti alii. Hos vero recenferi ajunt inter templi seu Ecclesiæ ministros passim in libb. Esdr. & Nehem. Quod plane absurdum foret, si fuissent gentiles.

§. XXXIII.

Quamquam recepta a plerisque sit opinio, Nethinæos non esse alios ac ipsos Gibeonitas nostros, saltem eorum numero contineri, tamen non desunt, qui ea de re vehementer dubitant, inter quos & meum non illubenter profiteor nomen. Nam I. perquam verosimile est, si Nethinæi Gibeonitarum essent vel propago vel successores, id alicubi in Scripturis fuisse insinuatum. Nec enim silentio videtur præteriri potuisse, unde illi duxerint ortum, aut quibus Nethinæi illi, a Davide constituti, in officio successerint. At, cum in solis Esdræ & Nehemiæ libris quindecies, inque Chronicis quoque horum fiat mentio, nullibi tamen ullo verbo narratur, eos a Gibeonitis descendisse, aut qui antea Gibeonitæ vel *Hieronymi* verbo, lignatores & aquatores dicti sunt, postea a Davide Nethinæorum nomine fuisse insignitos. II. Nec etiam ex vocabulo apud Josuam *נתני*, dedit aut constituit, vel qualecunque nedum firmum ejus rei ducitur argumentum. Cur enim non majori longe jure a Davidis: *נתני* quos dedit, denominationis ratio derivetur, cum prior sit sequela: David dedit, E. dedititii appellantur, cum dedititios a Davide vocatos esse luculenter constat, quam: Josua dedit, E. dedititii inde vocantur, cum ante Davidem isthoc nomine nunquam fuerint insigniti? Quare nec *Drusius* ausus est quicquam de hac originatione asseveranter pronuntiare, sed *ferre*, inquit, a Josua *נתני* ita dicuntur. Ne quid de eo dicamus, quod incerta prorsus sit denominationis ratio: Quæ enim consequentia est: dedit David vel Josua templo hos ministros, E. dati vel dedititii vocandî sunt? Quid impedit, quo minus *נתני* active vertas: *dantes*, h. e. subministrantes Sacerdotibus & Levitis vel aquam vel lignum vel instrumenta sacra? In-

folens

solens nempe non est, latere nos sæpius denominationum causas, quamquam grammatica earum origo non sit ambigua & in conjecturis nostris haud raro nos falli. III. Dubitari omnino potest, utrum post cladem a Saule Gibeonitis inflictam tanto numero Gibeonitæ superfuerint, ut servitia templo, jam in majorem longe magnificentiam, quod imprimis ad ministrorum multitudinem & copiam sacrificiorum attinet, evecto, quantum necessitas exegerat, præstare potuerint. Exertis enim verbis ipsæ Gibeonitæ: *Vir qui בלנו consumpsit nos & cogitavit in nobis בטמנו ut destrueremur, quo minus consistere possemus in omnibus finibus Israelis*, II. Sam. XXI, 5. Quæ duo verba eam habent emphasin, ut vel totalem Gibeonitarum devastationem, vel certe eorum, qui ex strage relictæ fuerant, exilium extra terras Israeliticas involvant, interprete *D. Seb. Schmidio* ad h. l. *Hoc vult, ait, quod, cum Saul cepisset aliquos percutere, reliqui ex finibus Israelis aufugerint, quasi dicerent, quo adeo vastati sumus cadibus, ut non potuerimus amplius in omnibus finibus Israelis subsistere, sed alio aufugere coacti simus.* *Serarius* apud *Heideggerum* putat, aut sponte populum hanc cædendorum lignorum & comportandæ aquæ servitutem Gibeonitis ademisse, aut illis eam remissam esse in compensationem fortasse damni, quod erant perpeffi. Alii, quia vident, pauperem Gibeonitarum numerum Davidis & Salomonis tempore ad hoc ministerium nequaquam amplius parem fuisse, suspicantur, a Davide alios, qui e Gentilibus interea Profelytismum fuerant amplexi, substitutos, vel Gibeonitarum reliquiis adjectos esse. Ita *Bertramus* & *Cuneus*. Adeo omnes agnoscunt, ad incitas Saulis truculentia Gibeonitas esse redactos, ut vel nullum vel vix aliquem fecerint numerum. Quod & inde perquam probabile est, quod post illam a Saule perpeffam cladem & vindictam de Saulis domo sumtam nunquam amplius memorentur Gibeonitæ, & nec nomen quidem ipsorum ullibi amplius comparet. Quin & IV. non desunt indicia, quæ non obscure coarguant, Nethinæos non gentiles vel Profelytos, sed Levitas & adeo Judæos fuisse. Ita certe *Lutherus*
ad

ad I. Chron. X, 2. in glossa marginali: Nethinim heist die gegeben
 nen oder geschencften/ und waren die Leviten/ die sich insonder-
 heit zum Gottes Dienst begeben hatten / wo Gottes Sitten/
 und die Lade war unter den Priestern. *Serarius* id colligit ex
 Nehem. X, 35. ubi dicuntur Sacerdotes, Levitæ & populus sortes
 misisse super oblatione lignorum ad adducendum illa ad domum
 DEI, idque ad destinata tempora & singulis annis. Temeraria
 vero exceptio *Heideggeri* est, posse sub Levitis intelligi Nethi-
 næos, & populum sua sponte studio pietatis profectum templo
 famulari sibi gloriosum duxisse. Nam in Libris Esdræ & Nehe-
 miæ ordo ministrorum templi ea semper accuratione ponitur,
 ut primum locum occupent Sacerdotes, secundum Levitæ, ter-
 tium cantores, quartum portarum custodes, quintum Nethinæi,
 sextum servi Salomonis Esdr. II, 36. 40, 41. 42. 34. 55. Cap. VII,
 24. Nehem. VII, 39. seqq. Cap. X, 28. Et quamquam brevitatis
 causa unus alterque in hoc ordine omittitur, tamen ordo ipse
 nunquam invertitur; cur itaque nominatis Sacerdotibus, Levi-
 tis & populo sub Levitarum nomine alii quam ipsi Levitæ intel-
 ligantur? Ridiculum autem est, populum, cum ordinarios ha-
 beret procurandi ligni & aquæ ministros, gloriosum sibi duxisse,
 horum conditionem & quidem quotannis omnibusque diebus
 festis subiisse & molestissima illa officia præstitisse. Sed & aliud
 mihi longe speciosius hujus rei argumentum est, quod nempe
 Esdr. II, 43. seqq. longo ordine recenseantur illi, qui ex tribu
 DEO sacrata ex Babylone in Judæam reversi fuerunt, subjician-
 turque vers 59 ii, *qui indicare non poterant domum patrum suo-
 rum & semen suum, num de Israele essent?* Ex quo indubie sequi
 videtur, qui in præcedentibus designatis etiam familiis suis, no-
 minati fuerunt, de Israele fuisse. Præcipue, cum credibile non
 sit, vel gentilium vel Profelytorum familias ita sollicite in DEI
 populo fuisse conservatas, cum tantæ dignitati familiarum di-
 scrimina, eorumque in Archivis ad perpetuam posteritatis me-
 moriam depositionem judicaverint semper Judæi, ut ne quidem
 locum in iis aliquem mulieribus, nedum aliis concesserint.

Pro-

Provocat *Serarius* etiam ad auctoritatem *Josephi*, qui *Lib. II, Cap. XVII, belli Jud.* festi *Xylophorias* mentionem facit, in quo, inquit, mos est omnibus grandem lignorum materiam convehere ad templum, ut nunquam igni deficiat esca & semper inextinguibilis perseveret. Ad quem locum denuo frustra excipit *Heideggerus*, id ex singulari pietatis studio factum esse, ut eo die submotis *Nethinæis* populus ligna ferret. At dicitur populus comportasse, & quidem omnibus *Xylophoriarum* festis, i. e. quotannis tantam lignorum multitudinem, quæ alendo per totum annum igni sufficeret; hoc enim est convehere ligna ad templum, ne igni deficiat esca sed semper inextinguibilis perseveret. Quid igitur opus fuerit *Nethinæorum* ministerio ad convehenda ligna destinato? Quæ omnia *Lutberi* atque *Serarii* sententiæ non leve pondus addunt. V. Si quis his argumentis, ut *Judæos* fuisse *Nethinæos* credat, haud moveatur, quo ille indicio fidem faciet, eos fuisse *Profelytos*? Et quidem non fuisse *Profelytos* *Portæ*, qui revera gentiles fuerant, *Christiani* pleriq; facile concesserint. Fuisse vero *Profelytos* justitiæ quo argumento probabitur, cum *Scriptura* omnis per totum istud temporis intervalum, quod inter *Josiam* & *Christum* intercessit, ubique altum ea de re teneat silentium? Cur non superfuerint ex istis, qui *Christi* ætate servitia illa in secundo quoq; templo obierint? Igiturne intra aliquot seculorum spatium omnes *Nethinæi* perierint, qui antea tanto numero per tot secula duraverant? Summa huc redit, non posse ullo idoneo argumento doceri, *Nethinæos* vel fuisse olim gentiles vel factos esse *Profelytos*, Aut *Nethinæorum* officium fuisse findere ligna & apportare aquam. Nec enim de his omnibus vel unica litera in *Scripturis* legitur, & quæ in antiquitate *Talmudica* de iisdem, ac si *Profelyti* *Portæ* fuissent, traduntur, omnium *Christianorum* consensu fabulosa sunt, Post *Nethinæos* de *Gibeonitis* altum silet *Scriptura*. *Nethinæos* ministris templi in eodem ordine, quamquam non in eodem gradu accenset *Scriptura*. De *Nethinæorum* functione ne *yeu* quidem ullibi habet *Scriptura*. Nihil de aqua, nihil de lignis. Et qui juxta primam *Gibeonitarum* constitutionem hauriendis in templo aquis opus fuisset, cum *Salomo* aquæ ductus

ctus plures fabricaverit, quibus aqua sponte influeret in templum, fueritque integra juxta templum piscina ad abluendas victimas DEO sacrificandas? Qui vero juxta eandem primam Gibeonitarum originem cædi ligna oporteret, cum Xylophorias festo tantum comportarent universi, quantum per totum annum requireretur? Et quid opus est verbis? In Talmud. tract. *Taanit* numerantur & novem dies anni, quibus signa ferenda essent Sacerdotibus & populo, atq; id opus attribuitur novem peculiaribus familiis, ex iis, quæ memorantur ex captivitate venisse, quarum nulla est ex Nethinæis, omnes ex tribu Juda & Benjamin, quibus junguntur illi, qui tribum suam ignoraverant. Verba exhibet *Job. Lighthfoot Lib. de ministerio templi*, sub fin. simulque conclavia ostendit, in quæ delatum est lignum & a vermibus purgatum. Si dixeris ex *Quenstedio de Antiquit. Bibl.* lignum aquamque apportari debuisse & ad altare & ad Sacerdotum Levitarumque culinas, qui labores ob hominum multitudinem & sacrificiorum immanem sæpe copiam innumerorum hominum operam requisiverint, quæ non potuerit esse nisi Nethinæorum; tum non nego, id fieri potuisse, indubitatum tamen esse inficior, cum alias quascunque operas, nobis quidem hodie incognitas, obire potuerint, inprimis cum hunc laborem ipsis Israelitis diserte adscribat antiquitas Talmudica. Quid vero laboraverint filii servorum Salomonis, qui ubique Nethinæis subjiciuntur, & quos omnino inter infimi ordinis ministros præterit *Quenstedius*? Hi igitur sordibus evertendis, quæ ultima abjectissimaque inter omnes opera & quasi infamis est, fuerint deputati. Si vero hi servi Salomonis juxta *Hug. Grotium* relictæ in terra Israelitica Emoræi, Chittæi, aliique populi fuerunt, quo expellere Israelitæ non poterant, gentiles utique fuerint necesse est, cum eos DEUS reliquisset in terra affirmet, qui ad idololatricam filios Israelitarum filiasq; seducerent. Quamobrem hæc aliaque evidentissime ostendunt, rem omnem de Nethinæis, eorumque vel religione vel officio fuisse quam incertissimam, nec nisi infimæ probabilitatis argumentis de iisdem aliquid conjectari posse. Quale igitur fundamentum præbebunt vel Gibeonitis ipsis vel eorum religioni dijudicandis?

§. XXXIV.

Emensi hactenus longum quasi mare sumus, ut ostendere-
mus, verosimillimam inter omnes esse sententiam, quæ censet Gi-
beonitas in ipso ministerio suo aquam hauriendi & ligna finden-
di in usum sacrorum mansisse gentiles. Nunc igitur vel tribus
verbis ad institutum nostrum, in Proœmio indigitatum, univer-
sam hanc doctrinam applicemus. *Primo* igitur, ut Josua & Prin-
cipes Israelis male fecerunt, quod non consulto ore Domini in-
tercedente juramento jus inquilinatus aut incolatus, tametsi sub
dura conditione gentilibus promiserunt, quos excludere non
tantum vi mandati peculiaris, sed ob hanc quoque rationem te-
nebantur, quia ab ipsis facile poterant seduci; Ita nec hodie in
vera Ecclesia falsa religio tolerari multominus plantari & intro-
duci debet. Consentiant in hoc & Pontificii & Lutherani & Re-
formati, quorum nomina adducit immortalis memoriæ Theo-
logus *D. Gerhardus, Loc. de Magistr. Polit. §. 199.* Quare recte
nobiscum *Rob. Bellarminus* concludit, *Lib. de Laicis, Cap. XVIII.*
*Quando apud Judæos vera religio florebat, non poterant Reges per-
mittere libertatem religionis: E. multo minus debent permittere
Reges Christiani. Non minus enim ordinata debet esse Ecclesia
quam fuerit Synagoga. Deinde vero si falsa religio vel per vio-
lentiam bellicam vel quacunque alia ratione, indeclinabilem
nobis necessitatem imponente, in regna atque provincias no-
stras introducta, ejusq; tolerantia jurisjurandi fide Josuæ Gibeo-
nitarum exemplo stabilita est, rescindi hæc fides & violari jura-
mentum atque adeo adversæ religionis Professores expelli
sine gravissima conscientiæ læsione & metu Divinarum pœna-
rum non possunt. Fundamenta hujus doctrinæ per universam
Disputationem nostram diffusa tanta luce intellectui legentis,
ut spero, illabentur, ut haud opus sit vel addere verbum.*

§. XXXV.

Vim hujus exempli superioribus annis tanquam plane in-
victam Hugonottæ Galli Regi suo vel infinities opposuerunt.
Factum nempe fuit civilium bellorum diuturnitate, ut ad pacem
inter Catholicos & Reformatos solidam & constanter duratu-
ram deveniri haud posset, nisi tolerantia religionis Reformatæ

H

Edicto

Edicto jurejurando confirmato sanciretur. Conditum itaque est Edictum mense Aprili Anni MDXCIIIX. titulo: *Edicti perpetui & irrevocabilis*, cujus observationem, eamque exactissimam Rex promiserat, quæ promissio in Regibus vim habet jurisjurandi, & quotquot officiis præfici in universa Gallia cupiebant, omnes nimirum magistratus, sive Regii sive oppidani, sive civiles sive militares, præcipui etiam ex civibus, itemque Curiarum supremarum, quas Parliamentum vocant, sacratissimo jurejurando ad Edicti illius observantiam sese adstrinxerant. Quo tamen sive Edicto sive juramento non obstante, novissime Religionis libertas Reformatis in Gallia ademta, fidesque jurato data revocata & infracta est. Quæ mala, quæ persecutiones, quæq; exilia postea Hugonottos insecuta fuerint, in recenti omnium memoria hæret. Is qui sub literis M. D. S. B. anno MDCLXXXV. Actis Congregationis Generalis Cleri Galliciani subjecit *defense des libertés des Eglises Reformées de France*, ex historia Gibeonitarum, cui totum Cap. VI. impendit, XII. momenta Catholicis opponit. (1) Gabaonitas fuisse infideles idololatrias; Tales nempe & in Gallorum oculis esse Hugonottos. (2) Deum præcepisse, ut illi exterminarentur & destruerentur per modum interdicti una cum populis Cananæis: Quod & per Ecclesiæ Romanæ Constitutiones & Decreta Reformatis fuerit faciendum. (3) Factum esse per insignem fraudulentiam, qua mortem evitaturi Josuam adduxerint, ut pacem cum ipsis faceret, & Principes populi, ut foedus juramento firmarent: Ut nempe Hugonottæ civilium bellorum tædio Regi tandem Nannetense Edictum & præcipuis Regis Ministris jusjurandum extorserint. (4) Nihilominus Josuam & populum credidisse, obligatos se esse ad servandum, quod dederant, juramentum. Nec itaque minori jure ad eandem fidem & Gallos obstrictos fuisse. (5) DEUM approbasse bonam fidem, quam populus ipsius Gibeonitis fuerit testatus, eamque remunerasse insigni victoria adversus Amoræos non sine miraculo parta, ut fama hujus rei longius dimanaret. Nempe pariter a tempore Edicti Nannetensis Galliam universam miraculosa quadam felicitate gavifam, inque id fortunæ fastigium evehctam esse, ut perpetuis contra omnes hostes suos victo-

rius

riis ad hunc usque diem superbiat. (6) Postquam violata hæc fides fuit, quam dederant Gabaonitis, longum intercessisse tempus, a quo Josua mortuus sit, qui pacem cum ipsis fecerat, Principes populi, qui in ipsorum favorem juraverant, pariter sint vita defuncti. Pariter scilicet tempore, quo Edictum Nannetense abolitum est, jam diu fatis cessisse Regem libertatem ipsis promittentem, & primores regni juratam fidem præstantes. (7) Eum qui promissionem & jusjurandum violaverat, Principem absoluto imperio fuisse, quem DEUS sua manu super thronum collocaverit, Saulem nempe, primum Israelitarum Regem, qui, dum haud haberet Prædecessores, nec sibi visus fuerit obstringi posse ad promissa & juramenta, quæ facta fuerant, dum populus vixerat sub alia imperii forma. Talem nempe nunc esse Ludovicum XIV. imperio magis absoluto quam omnes ipsius Majoris Galliae imperantem, neq; ad leges, a Prædecessoribus suis latas, ut existimet, obligatum. (8) Factum a Saule esse per zelum indiscretum, ut fidem Gabaonitis datam infringeret, quos ideo internecioni dederit, quia fuerint infideles; istumque zelum visum sibi fuisse niti Divina auctoritate, quæ præceperat occidere omnes populos Palæstinæ. Plane eodem zelo imprudenti actum Galliae Regem Hugonottos omnes exitio suo addixisse. (9) Non obstantibus istis omnibus irritatum esse DEUM, quod Saul fidem violaverit promissi & religionem juramenti. Idem videlicet & Gallis hodie cogitandum esse. (10) Istam DEI iram non placasse mortem perfidi Regis Saulis. Quamquam non amplius extiterit, qui in iram DEI concitaverat, mansisse tamen indignationem Divinam accensam, ejusque terribilia dedisse documenta. Nec scil. in Gallia quoque, etiam defuncto præsentente Rege, alium Divini furoris effectum vel metuendum esse vel expectandum. (11) Punivisse Deum totum populum, immisisseque diuturnam famem, idque ob perfidiam Regis sui. Nempe nec in Gallia Regis perfidiam impunitam fore, si vel maxime quondam futurum sit, ut universus populus horrenda calamitate eandem luat. (12) Vindictam Divinam Regem Saulem & post mortem fuisse insectatam, idque in persona filiorum suorum, quos morti objecerit tragicæ & infami. Cavendum igitur & Galliae Regi esse, ne & simili fato tota ipsius posteritas involvatur.

§. XXXVI.

Non potest non huic applicationi applaudere, quisquis utriusq; exempli similitudinem paulo curatius apud animum suam consideraverit. Nec minus firmiter ex exemplo nostro sequitur, fidem, imprimis juratam,

etiam gentibus & Turcis, nedum hæreticis servandam esse, quod quamquam vulgo non inficientur Romanæ Ecclesiæ Doctores, sinceritatem tamen hujus asserti & doctrinis & exemplo non parum suspectam reddunt. *Becanus* equidem Jesuita in *Manual. Lib. IV. Cap. XV.* ita disertè: *tametsi cum hæreticis non facile paciscendum sit, nihilominus tamen, si cum illis pactus es aut fœdus iniisti, siquidem nihil aliud obstat quam heresis, debes integre & sincere servare illam fidem non minus quam Catholicis.* Quod & postea Josuæ & Gibeonitarum exemplo confirmat. Hanc ipsam tamen assertionem vehementer labefactat, quod in Concilio Constantiensi decreverint Patres, non posse ex fide etiam ab Imperatore hæreticis data præjudicium Ecclesiæ generari, quo minus, Salvo conductu non obstante, contra hæreticos procedere, eosdemque nisi resipuerint, extremo supplicio, quod Joh. Hussio, contra fidem a Sigismundo datam eo ipso in Concilio irrogarunt, afficere possit. Fatenturq; *7 Cii Dillingenses*, juratam fidem hæreticis datam si vel commodum vel necessitas Ecclesiæ id requisiverit, a Pontifice quolibet momento relaxari posse, quamquam illum nunquam hoc facturum esse simul edisserant. *Papa enim*, inquiunt, *relaxandi potestate uti non debet, si gravius inde Ecclesiæ detrimentum timeatur, quam utilitas speretur.* Quæ verba *B. D. Danbæuerus* in *Hodom. Papæ Tom. 1. p. 1448.* hac crisi notat: *Quid si mutato rerum statu major Ecclesiæ utilitas speretur per ejusmodi relaxationem Papalem, quam detrimentum timeatur? Quis tum securitatem præstabit?* Addere liceat ex exemplo nostro & hoc, cur DEUS non relaxavit juramentum Gibeonitis præstitum, cum ex hac relaxatione majorem pro Ecclesia Israelitica utilitatem sperare potuisset, nempe ne eorum consortio ad idololatriam seducerentur, quam timere detrimentum ab ipsis gentilibus ad Israelitas redundadurum. Sed vero fructus tractationis nostræ in una alteraque Christianæ pietatis doctrina ostendendus nobis potius fuerat, quam ex instituto tractandus, cum meditatio nostra jam pene ultra ordinariæ Disputationis mensuram videatur excrevisse.

§. XXXVII.

Contrahimus igitur vela & summo studiorum nostrorum Moderatori, Deo, pro concessio Spiritus sui S. auxilio, quod ab ipso, ut a linea veritatis nulla in re aberrare nos sineret, devotissimis precibus imploravimus, grates persolvimus immortales, Ipsi porro nos & studia nostra, unice Ipsius honori dicata, ut illis semper Divina sua gratia assistere velit, quam humillime commendamus finimusque dicendo:

יהי ברוך יהוה מעתה לעולם ועד
אמן ואמן

Ad

Ad

Generosum & Clarissimum huius Dissertationis
Theol. Auctorem,

DN. BALTH. HENRICUM
a PLATEN,

Fautorem honoratissimum.

Quartus es, optime a PLATEN; ex Equitum numero, qui cum in hac ad maris Baltici oram Academia ex DEL nutu confideo, sacris studiis, quæ Theologia nomine vulgo honestamus, præter hominum huius seculi morem, animum suum consecrarunt. Primus BULOVIUS est, acerrimo ingenio Vir nec minori pietate, subvectus ad Ecclesie nostræ Petrinæ regimen, quam non exornare tantum donorum suorum præsidis sed & salutari institutione & vitæ exemplo quotidiana ei addere incrementa potuisset, nisi DEI consilio maturius fuisset terris ereptus quam vel sperari poterat vel optari ab omnibus bonis. Secundus KRAKEVITZIUS est, veteris exempli surculus, atque ad Augusti nominis illius merita & celebritatem majori quotidie nisu succrescens, quem Academia nostra inter Doctores suos, Tu inter Patronos jam diu colis. Tertius CRAMMIUS, florentissimi ingenii Juvenis, de quo nihil, nisi quod eximium est & vulgarem eruditionis sortem supergreditur, expectari poterat, si in vivis eundem conservare supremo Numini placuisset. Quartus Tu es, qui eandem viam jam ante complures annos ingressus, non minorem spem nobis quam ceteri omnes ostendas. Propria hæc hætenus fuerat huius Academia gloria, ut ex generoso sanguine, quod insolens antea raroque auditum fuerat, Ecclesie Doctores & generaret & possideret, qui ut stelle lucis inter minores omnium cum voluptate promicabant. Cæperat ante aliquot annos eadem felicitas & alibi celebrari, sed sinisteriori tristiorique, quam optandum fuerat, eventu. Nobis quidem in VOBIS omnibus nihil tenebrosi metuendum unquam fuerat, qui stirpis Vestre splendori vitiarum omnium odium & animi alienam non a sordibus tantum, sed & a
fuce

fuo sinceritatem indissolubili nexu conjunxistis. Tu precipue, Carissime a PLATEN, talem consecutus es a DEO mentem, ut ne quidem posses, cum velles a veri bonique orbita deflectere. Audivi Te pro suggestu in Ecclesia Jacobaa perorantem ubi & dona, a DEO TIBI largissimo proventu concessa, & animi vere Christiani devotionem luculento specimine consexi, Deoque ob effusam in Te charismatum suorum varietatem gratias egi, sed & in ipso studii Tui decursu cum indefessam diligentiam, tum successus omnino laudandos merito predicare necesse habuimus; Quorum documentum jam ante triennium Preside KRAKEVITZIO Tuocum Academia applausu edidisti. Nunc antequam terras peregrino sole calentes cum DEO adeas, nobis argumentum exhibes, Gibeonitarum Religionem, quae videtur haecenus quasi in profundo latuisse, saltem sufficienti industria indagata non fuisse. Equidem primam TIBI ad hoc argumentum, quod non diffiteor, suggesti oquunt, cum aliquando cum Amico Argentoratensi ea de re literaria mihi liticula intercessisset, TU vero rerum pondera, primum & me TIBI ostensa, eo hausisti judicio & judicio & disposuisti ordine, & Rabbiorum sententiis, quorum lingua familiarissime TIBI cognita est, exornasti, ut in revisione TECUM instituta nonnisi cum singulari animi mei oblectatione versarer. Ut igitur plane dubitandum non est, quin his studiis TUIS pondus alibi & incrementum amabile adjecturus sis: Ita & de hoc animo TUO, de hac sedulitate TUA, de hac variarum rerum scientia, deque itinere TIBI proposito enixissima TIBI mente gratulor, rogoque aeternum DELIM, ut iter TIBI felix esse jubeat, ut valetudinem TIBI inconcussam ubique conseruet, ut Doctores TIBI propensos facilesque largiatur, qui TE ita instruant & exornent, ut illustre evadas Divinae gloriae promovenda organum, ut materiam hinc capiat ipso Venerandus Senio, Generosissimus Parens TUUS, solidi gaudii amplissimam, ut reducem TE aliquando conspiciamus, in omnia honorum genera evalienrum. Vale! scr. in museo d. V. Apr. MDCCIII.

Disputationis hujus Tuæ

PRÆSES!

Coll. d. 155. A. 32, misc. 58